


20275. V.C.F.g.

V

229





Æterna Divini Amoris

I D E A

Scholastico - Theologicè exhibita.

Scu

PRÆDESTINATIO

Ex meritis,

Sacræ Scripturæ , sanctis Pa-
tribus , & principijs Theologicis
apprimè conformis.

Unā cum

SCOTI POSITIONIBUS

De

A N G E L I S

Labaci in Æde D.V. Assumptæ Ann:
M. DCC. XXXX. die Mensis
Septembris.

SUB PRÆSIDIO

P.F. Joan. Nepomuceni Trop-
per Sac. Canon. & Ss. Theolog. Lecto-
ris generalis ex Ord. Minor. strictioris
observant.

à P. Angelino Coballi, & F. Davide
Nusdorffer ejusd. sacri Ord. publicè
propugnatîs.

Annuente Superioritate.

Labaci Formis, Adami Friderici Reich-
hardt, Inclyt. Prov. Carn. Typ.



030030896

Ræsens *Dissertatio Theolo-*
gica, sanæ Doctrinæ nil
dissolum continens, quin po-
tiùs ad mentem Sanctorum Pa-
trum, & gravium Authorum
solidè deducta, ut prælo dari
possit, hinc, quantum in me est,
facultatem impetrat. *Labaci*
in Conventu nostro ad D. V. af-
sumptam die 10. Augusti 1740.

Fr. Antonius Khallani
Lector emeritus, & Minister
Provincialis.

Imprimatur.

Ex Officio Episcopali Labaci die
16. Augusti 1740.

JOANNES JACOBUS
SCHILLING
Canonius, & Vicarius Generalis
Labacensis.

Amice Lector.

Exhibeo tibi æternam Divini Amoris Ideam secundum quam benignissimus Deus in inaccessibili Mentis suæ arcano hominum operatur salutem, sed ad initium verbis S. Aug. Tract. 53. in Joan. præmoneo : ad hanc penetrandam altitudinem, ad hanc abyssum discutiendam, ad inscrutabilia perscrutanda expeditatio Charitatis tuae non impingat... altius est hoc incrementis, fortius viribus nostris. Volve basce pagellas, & revclve : & quid has, quæ nullæ sunt & percurre etiam Sac. Paginas, Sanctorum, aliorumque Doctorum Volumina : stude, meditare, ruminæ : quid post tantum denique laborem, mentisque fatigium? haud quidquam dicere poteris, nisi cum D. Paulo ad Rom. 11. ô altitudo Divitiarum sapientiae & scientiae DEI, quam incomprehensibilitia sunt Judicia Ejus, & investigabiles viæ Ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius Ejus fuit? Altiora sunt Creatori concedenda, quam Creaturæ, sublimiora DEO, quam Naturæ ; si ergo Naturæ opera supra nos sunt, & ideo Socrates (scis, quantus Atheniensium Philosophus) de ijs, ut scribit Xenophon, Disputare noluit, quantum non limites nostræ imbecillitatis transcendunt, quæ Gratiae, & Naturæ

turæ Conditor, singulis momentis ope-
ratur Prodigia? Sunt nostri temporis Hæ-
resiarchæ, qui eò audaciæ progressi, ut
omnia Divini Consilij secreta temerario
ausu investigare præsumant, & mirabilem
illam in omne genus hominum Gratiarum
dispensationem interpretari, & quæ De-
us abscondita voluit, scrutari: sed quæ-
stiones pæstant magis, quam ædificatio-
nem DEI, quæ est in fide ... conversi
sunt invaniloquium, volentes esse Legis
Doctores, non intelligentes neque quæ
loquuntur, neque de quibus affirmant,
ut de illis, qui intendunt fabulis, & in-
terminatis Genealogijs nervosè expræssit
Apostolus I. ad Timoth. I. Hinc cum quæ-
stiones hujusmodi (quid Deus cum hoc
egerit, aut illo? cur in tali loco, tempore,
Patria, occasione, &c. in quibus eum per-
iculum salutis subiturum prævidit, collo-
caverit? quare hæc, & non aliâ præmuni-
rit Gratia?) in medium venerint, non
nobis judicium, ut piè, & sapienter lau-
datus monet August. de Judicio tanti Ju-
dicis usurpemus, sed contremiscentes
exclamemus: ô altitudo Divitiarum....
unde dictum est in Psalmo: Judicia Tua
abyssus multa. *Sicut maris, verba sunt*
Eminent: Sfondrati in nodo Prædesti-
nat: ita rerum Divinarum proprietas est,
& magna ex parte cerni posse, & majori

lōtere ; sicut enim non mare, sed flumen es-
set, cuius totam latitudinem, & profundi-
tatem metiri oculō posses : ita non res Di-
vina, sed humana esset, quam totam intel-
lectu perciperes. Noli itaque altum sape-
re, præcipit D. Paul ad Rom. 11. Dum
per versionis, & gravissimi erroris, ut hic,
subest periculum, damnanda est temeritas,
& præsumptio, nec unquam commendanda
etiam si absit.

Eapropter unicus, & solus hujus opu-
sculi scopus erit, taliter, qualiter ex Sac-
Bibli s, SS. PP. Principijs que Theo-
gicis ostendere, DEUM O. M. neminem
ante merita absolutè prædestinatōsse, ne non
solum certa, sed necessaria alicui fieret sa-
lus ; nec talem prædestinandi methodum
uliibi à Sancto Spiritu indicari : sed poti-
us serio, & efficacissimè quemcunque sine ul-
la discretione elevatōsse ad Gloriam ; & ex
bac elevatione tam universalì originari,
quod omnibus, perditissimæ etiam vitæ,
efficacissimas, ut declinent à malo, & perse-
verent in Bono, communicet Gratias, ut
cum illis cooperari voluerint, velit Ipse,
ait D. Hieron. in c. 1. ad Ephesi in nobis
suum implere consilium ; & quod, qui
pertinet, sunt verba S. Amb. l. 2. de Abel,
& Cain. c. 3. suā duntaxat pereant ne-
gligentiā, & qui salvantur, secundum
Christi sententiam liberentur, qui vult
omnes

omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Hæc igitur sunt, quæ hocce meditatetur opusculum; si autem profundiora ab eo quæsiēris, & à creatæ capacitate longè remotissima, Catholicè eam, quæ laborat, fatebitur ignorantiam, tēque, ut illa aliquando penetrare valeas, portatur cum D. Aug. cit. ambulandum est, proficiendum est, crescendum est, ut sint corda nostra capacia earum rerum, quas capere non possumus. Quòd si nos ultimus dies proficientes invenerit, ibi discemus, quod hic non potuimus. Fac hæc, habe interim patientiam, & vale.



DISSERTATIO THEOLOGICA.

Utrum electi sint prædestinati
ante prævisa merita?

§. I.

Natura prædestinationis, & sensus Dissertationis.

I.



Rædestinatio, seu destinatio, aut decretum antecedens, à quacunque voluntate de ponendo effectu elicatum, Theologicè definitioni divinæ voluntatis de rebus in tempore

formandis, ab æterno factæ, appropria-
tur, indicante id sac. script. & PP. præ-
destinationis vocabulō pro tali æterna
ordinatione usurpatibūs. ad Rom. 14.
*Qui prædestinatus est Filius DEI in vir-
tute.* Et S. Aug. tract. 106. in Joan. Il-
lud prædestinandum erat, quod nondum
erat, ut sic suo tempore fieret, quemadmo-
dum ante omnia tempora prædestinatum
erat, ut fieret.

2 Quia verò duobūs modis res in
æternitate decerni possunt, alia est se-
cundum D. Aug. de prædest. Dei c. 1.
Prædestination alligationis, & potentiaz,
quā futurus rei eventus absolutè, & si-
ne ulla limitatione decernitur : tali
prædestinatione, ut ipse explicat, ordi-
nata est Cœli, & terræ creatio, illius
motus, & hujus firmitas, &c. Alia est
conditionis, & justitiæ, quā sub certa
duntaxat conditione quid piam statuitur
ut v. g. mors hominis ; non enim, exem-
plificat Ille, Deus ante casum hominis sic
eum per potentiam alligationis prædestina-
vit morti, ut necesse esset, eum mori sed sub
ea conditione, si peccaret : quia ergo pecca-
vit, justum erat, ut moreretur. Et hoc est
quod Authore D. Damasc. 2. de fide c.
29. Theologi alijs exprimunt terminis,
dum decretum divinum distribunt in
absolutum, & conditionatum, seu ex sup-
positione.

3. Ad

3. Ad propositum præsens magis
limitatur prædestination, ad eam scilicet,
cujus terminus est gloria creaturæ
rationali conferenda, quam quidem D.
Aug. de bon. persev. c. 14 definit esse
præscientiam, & præparationem Benefici-
orum Dei, quibus certissimè liberantur, qui-
cunque liberantur; quia tamen hæc de-
scriptio potius circa media ad gloriam
requisita, quæ sunt beneficia, seu gra-
tiæ, directè occupatur, addit quoque
præscientiam, quæ tamen diversa est à
prædestinatione, magis placet illa d.
Thom. hic. q. 23. quòd sit ratio trans-
missionis rationalis creaturæ in ultimum
finem in **DEO** præexistens, quāmquām
in compendio sufficienter diceretur, esse
æternam alicujus destinationem ad glori-
am, in qua descriptione nihil desiderari,
nihil demipotest. Nec contra ly: æternam
urget Evangelium Matth. 23. possidete
paratum vobis Regnum à Constitutione
Mundi, quasi in tempore creationis
mundi tantum parata fuisset gloria. Op-
ponitur enim D. Paulus ad Ephes. 1. ele-
git nos in Ipso ante Mundi constitutionem:
& in Arabico loco, à constitutione, legi-
tur: ante constitutionem: aut certè in-
telligenda est constitutio Mundi non
temporanea, sed æterna in mente Di-
vina.

4. Visō quid nominis , & quid rei
Prædestinationis, ad difficultatem Con-
troversam descendō explicandam; con-
sistit autem in hoc , utrūm Dominus
DEus aliquem, aut aliquos priùs præ-
destinavit ad Gloriam , quām prævidit
eorum merita , non quidem pro aliquo
instanti reali ; nam & prædestination seu
ad Gloriam, seu ad Gratiam, & prævisio
meritorum, sicut & omnia alia in pun-
cto æternitatis facta erant , quod, quia
indivisiabile est, vera , & realia instantia
non agnoscit ; sed sicut quoad alia fo-
lent Theologi instans æternitatis in va-
ria partiri, & dicere hoc in uno, aliud in
alio instanti, aut potius signo determi-
natum, & sanctum esse , prout scilicet
vident res ipsas, & effectus se in tempo-
re antecedere, & consequi : ita etiam in
proposito querunt , an quemadmodum
in tempore videmus, quòd merita ante-
cedant Gloriam, ita etiam nostro conci-
piendi modo asserere debeamus, ea hanc
præcedentiā etiam in æternitate habe-
re, an verò ordinem inversum juxta il-
lud vulgatum ; quæ sunt priora in inten-
tione, sunt posteriora in execuzione, estque
aptissimum, & fermè unicum exemplum
in Fine, & medijs ad illum. Nec hoc est
querere aliud, quām utrūm DEus sine
ullo respectu ad merita prædestinaverit

quos-

quosdam ad Gloriam ? & si ita : merita non sunt causa prædestinationis , benè verò , si facta sit cum respectu ad illa . Atque hoc est , quod alij querunt , nempe , an merita sint causa prædestinationis ? quod ut melius capias .

5. Aderto , non queri , nūm merita sint causa prædestinationis entitati- vè sumptæ ; ita enim est actus Divinæ Voluntatis omnino incausatus : sed terminativè , an scilicet ea , ut prævisa sint motivum , ob quod actus ille ad Gloriam aut omnium terminatur , aut aliquorum , non quidem motivum primari- um , quale est sola Bonitas increata : universa propter semetipsum operatus est Dominus Prov. 16. sed secundarium ut Prædestination sit potius finis merito- rum ; instantium namque Deus unum propter aliud velle dicitur , & ad ita vo- lendum à sua Bonitate movetur , in- quantum unum habet ordinem ad ali- ud , quod scotus 3. q. 49. q. 8. hisce innu- it : *DEum velle aliquid propter finem cre- atum , non tanquam finem ipsius DEI , sed tanquam finem ipsius effectus DEI , & ali- bi amplius declarat.* Aderto item , non queri de illa Voluntate generali per D. Paulum 1. ad Timoth. 2. manifestata : omnes homines vult salvos fieri ; quia com- munis esse & salvandis , & damnandis sup.

supponitur, estque conditionata: verum de absoluta, solis Electis propria, quæ infallibiliter adimpletur.

§. II.

Variæ hac de re sententiæ.

6. Porrò in hac Dissertatione variæ sunt sententiæ, & errores etiam: Manichæi etenim, Clemente Alexandrino l. 5. Strom. & Origine referente, volebant, non esse in nostra potestate, ut salvemur, sed naturas esse Animarum tales, quæ in omni genere vel pereunt, vel salvantur: nec ullò modō posse animam, quæ mala facta est, bonam fieri, aut quæ bona facta est, malam fieri: in hoc exactè consonantes alteri errori de duobus principijs, seu Dijs, à quorum uno bona cuncta, & ab altero mala (a page cum simili Deo) etiam deterrima originantur.

7. Pelagius natione Scotus, ut errorem Manichæorum, omnia in necessitate ponentium, infringeret, & bona, ac mala non à natura, sed à libero arbitrio ordiri ostenderet, hoc ita extulit, ut etiam ea, quæ fide Magistrâ gratiæ Divinæ tribuuntur, illi dumtaxat appropriaret, docens inde, prædestinationem nostram respicere merita antecedentia, ex mero naturali arbitrio sine ajutorio Gratiæ elicita. Et quia hæc falsitas acriter

ter à D. August. impugnabatur, alij volentes etiam gratiæ aliquid deferre, ajebant, primum quidem meritum, seu initium Fidei à puro arbitrio, ulteriora autem merita à gratia coadjuvante procedere; adeoque prædestinationem pro sui motivo habere merita, sed pri-
mum quorum in naturale refunditur ar-
bitrium: quam ob doctrinam semi- Pe-
lagiani appellantur, tanquam in parte Pelagiani. Sed omissis hīs, alijsque he-
resiarcharum lapsibūs, qui anathemate à Trident. PP. sess. 6. Cān. I. 2. & 3. ac alibi confixi, ad Catholicos deveniendo.

8. Tenent plurimi DD. prædesti-
nationem esse in solam DEI misericor-
diam, & specialem bonitatem refunden-
dam, quā DEus O. M. sine ulla reflexi-
one ad merita, & ita (ad captum no-
strum loquendo) pro aliquo signo quasi
priore ordinavit aliquos ad beatitudi-
nem æternam. Ne autem contradicant
scripturæ, Beatitudinem præmium, &
mercedem bonorum operum, quæ quis in
vita gessit, appellanti, afferunt, eam
esse gratis prædestinatam, non tamen ut
gratis, sed mediantibūs potius meritis
aquirendam, & ut hoc defendant, distin-
gunt duplēm Ordinem in Divina vo-
luntate, intentionis, & executionis, & a-
junt, quòd efficax de danda gloria decre-
tum

tum ex puro beneplacito latum, non nisi
dependenter à meritis executioni man-
detur, ut amplius infrà patebit.

9. Alij à diametro oppositi, & du-
plicem hunc ordinem recijentes, non ni-
si unicum Decretum admittunt (si ta-
men & tale ultra illud conditionatum,
& universale sub N. 5. insinuatum con-
cedi debeat, de quo infrà) vi cuius
omnes illi libro vitæ incorporantur, qui
prævisi sunt Divinæ gratiæ liberâ obtem-
peraturi cooperatione : ut proinde in
horum sententia prævisio meritorum
præcedat pro aliquo signo destinatio-
nem ad gloriam: quod intellige de me-
ritis absolutè, & non hypotheticè præ-
visis, nemo enim propter ea, quæ factu-
rus esset, sive bona, sive mala, præmia-
tur aut punitur, aliàs verificari quomo-
do posset illud Sap. 4. *raptus est, ne malit-
ia mutaret intellectum ejus, placita enim
erat DEO anima illius?* quale enim be-
neficium foret raptus è vita præmatu-
rus, si æquè propter futuram, durante
vita, malitiam puniri deberet? & quo-
modo placita anima illius, si ille ob hy-
pothetica peccata DEO exosus?

10. Explicatâ hac sententiârûm va-
rietate, restat videndum, quæ mens D.
Augustino, & Scoto in hac materia fue-
rit, & quid de ea sentiendum. Adverte

au-

autem, simul utriusque exquiri men-
tem, quia S. Augustinus magni in Eccle-
sia est ponderis, alter verò scholæ, quam
profiteor, Magister, & Princeps, ac aliàs
etiam si non semper, saltem ut pluri-
mum se Augustini accommodat menti,
tantùm hujus doctrinæ addictus, ut at-
tentata illius, juveni ætate, vix alijs, quam
volvendis Augustini operibus occupa-
tus videri posset, cuius luculentum in-
dicium est, quòd ex computatione no-
stri P. Josephi Læalij in præfatione ad
Pœdias Scoto-Theologicas in suis sen-
tentiarum libris unius Augustini autho-
ritatem 815. vicibus alleget.

II. Ne ergo etiam illi; qui præde-
stinationem absolutam factis in gratia
meritis adscribunt, sibi Augustinum
abesse paterentur, producunt aliquos
ex illo Passus, quasi ijs indicaret hanc
Sententiam. Verùm quia S. Doctor
plus quam satis integris librīs, ut de præ-
destin. Sanct. de bono perseverant: &
corrept. & grat. aperuit suam esse sen-
tentiam, prædestinationem esse opus
pure putè DEI misericordiam: imò
postremum ex ijs librum ea intentione
scripsit, ut priores duos contra Faustum
& Massilienses, occasione hujus gratui-
tæ prædestinationis obmurmurantes,
defenderet: fleati non possum, eum al-
teri

geri illi prædestinandi, modo favere.
Nec attendendi aliqui tantum, iisque
modici textus in contrarium adduci so-
liti, cùm ut ait J. Ctus L. 24. ff. de legi-
bus, *incivile sit, nisi tota lege perspecta,*
undē ejus particulā (aut etiam propositi-
one) proposita judicare , vel respondere ,
dum aliás ex contextu mens Authoris
clarescit. Manet igitur D. August. non
obiter, sed operosè docuisse, Deum ex
massa perditionis, ad quam se totum ge-
nus hominum per Adæ dejecit pecca-
tum , quosdam singulari beneficio , &
misericordia discrevisse ad gloriam, cœ-
ters in ea reliq̄is, *ut liberatus Epist. 105.*
ad Sixt. de non liberato discat, quod etiam
sibi supplicium conveniret, nisi gratia sub-
veniret.

12. Scotus hanc abyssum prædesti-
nationis ex instituto pertractat. 1. d. 41.
q. un. per totam, in qua propositis alio-
rum sententis hæc habet : *Potest aliter*
dici, quod prædestinationis nulla est ratio,
etiam ex parte prædestinati aliquo modò
prior ista prædestinatione , reprobationis
tamen est aliqua causa , &c. Et postquam
pro hoc sentimine rationem (de qua suō
locō) adduxisset, opponit sibi, quod si
Petrus, & Judas, ut omnino in natura-
libus æquales divinæ proponantur vo-
luntati, & illa primò vult Petro beati-
tudi-

tudinem, quid vult tunc Judæ? Si damnationem? Hæc non habet sui causam. Si beatitudinem? ergo & ille prædestinatus est. Difficilis reverà instantia! ad quam juvat subtilem illius responsionem in terminis adducere; dici potest, quod in isto primo instanti nihil vult Judæ, sed tantum est ibi negatio volitionis gloriae: & similiter quasi in secundo instanti naturæ, quando vult Petro gratiam, adhuc nullus actus positivus divinæ voluntatis est circa Judam, sed tantum negativus: In tertio instanti, quando vult Petrum permettere esse de massa perditionis, sive dignum perditione, & hoc sive propter peccatum originale, sive actuale, tunc vult permettere Judam simili modo esse filium perditionis: Et hic est primus actus positivus uniformis quidem circa Petrum, & Judam, sed ex isto actu est istud verum: Judas erit finaliter peccator, positis illis negationibus, scilicet quod non vult sibi dare gratiam, nec gloriam. In quarto instanti offertur Judas, ut peccator finaliter divinæ voluntati, & tunc ipse vult justè punire & reprobare Judam. Merito additur in Margine: *in his ingenia stupescant, quantò proiectiora.* Pergit subtilis ultrà: Nec mirum, quod non ponitur similis processus prædestinationis, & reprobationis, quia bona omnia attribuuntur principaliter DEO, mala autem nobis,

nobis, & ita DEum prædestinare sine ratiōne, congruit Bonitati suæ, sed ipsum vel le damnare , non videtur sibi immediate posse attribui respectu objecti ut cogniti in puris naturalibus, sed tantum respectu objecti , ut cogniti in peccato mortali finali.

Ita ille.

13. Atque hæc de mentibus D. Augustini, & Subtilis manifesta sunt, de quibus si urgeas, quid sentendum? nō lo quantum ad priorem recurrere ad iudicium Sedis Apostolicæ , quæ videtur quodammodo tacite quemlibet à necessitate illum sequendi liberare ; narratur etenim à pluribus (Baronio, Petavio, nostro P. Barone, &c.) à Ss. Prospero, & Hilario, genuinis Augustini discipulis, Cælestinum Papam interpellatum pro hujus, tunc recens mortui , doctrinæ contra quosdam Galliæ Presbyteros , qui eam accusabant, defendendâ: at Papa , tametsi cæteris acrior de prædestinatione sine meritis fuerit controversia, scripsit ad Episcopos Galliæ epistolam, sed in qua illa dumtaxat, quæ de peccato originali, gratiâ Christi, & usu liberi arbitrij certò credenda, complexus est, interim de prædestinatione nec syllabam tangens, utique, ut hōc suō silentiō hac de materia libertatem op-

nans

nandi concederet. *Nec est*, quod Cælestinus doctrinam Augustini de gratia summè commendet, prædestinatio autem summa est gratia. *Verum hoc est*, sed quia gratia æquivocum vocabulum, nemo cogitur credere, prædestinacionem esse sub nomine gratiæ à Papa intellectam.

14. Sufficit ad præsens, ipsum S. Augustinum ita addictum fuisse Prædestinationi gratuitæ, ut tamen aliam non reprobaverit, fortassis nunquam tam servidè illam propugnâisset, nisi inductus errore Pelagianorum, totum, etiam prædestinationis negotium meritis merè naturalibus tribuentium, ita se declarat lib. de grat. & lib. arbit. c. 6. si *merita nostra ita intelligerent* (Pelagiani) *ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent*, *non esset reprobanda ista sententia*. Quoniam verò *merita humana* sic prædicant, *ut ea ex semetipso habere hominem dicant*, prorsùs rectissime respondet Apostolus: *quis te discernerit?* ergo palam fatetur, se alteram etiam sententiam in sua veri-permittere similitudine: à quo proinde non habet, quod timeat.

15. Quantùm autem ad Scotum, fateor, eum multùm Augustini sententiæ addictum, modò ille prædestinationem ante massam perditionis posuisset:

& hoc in causa est , quod sæpius in suis
sententiarum libris ex illius opinionis
discurrat suppositione. Verumtamen
in i. cit. omnibus hinc inde discussis de-
finitivam profert sub litt. D. de istis op-
inionibus omnibus , quia Apostolus videtur
disputans de ista materia ad Rom. in fine ,
quasi totum imperscrutabile relinquere : ô
altitudo, inquiens, divitarum sapientiae &
scientiae Dei ! & quis novit sensum Domini ,
aut quis consiliarius ejus fuit ? ideo , ne
scrutando de profundo , secundum dictum
Magistri, eatur in profundum , eligatur ,
quæ magis placet , dum tamen salvetur li-
bertas Divina sine aliqua injustitia , &
alia , quæ salvanda sunt circa DEum , ut
liberaliter eligentem : & qui aliam opinio-
nem tenuerit , respondeat ad ea , quæ tacta
sunt contra eam . Si itaque conditiones ,
hic à Scoto appositæ , ab ejus implean-
tur discipulo , plenam obtinet licentiam
tenendi , quod libuerit , Magistrō palam
consentiente.

Atque ex his , quæ de S. Augusti-
no & Subtili adduxi , abundè , & ad ocu-
lum liquet , quid de utriusque mente
sentiendum.

§. III.

Verior sententia proponitur.

16. Præmissis , & præsuppositis ,
quæ per tres priores §§. adnotavi , pro-
lixè

līxē quidem, sed quia de quibusdam eōrum in libris disputari video ; plures enim, et si opposita sentientes, & D. Augustinum, & Scotum sibi adesse optant, adductis, & explicatis eorum Passibus, à qua pugna, cùm ostenderim, utrumque Doctorem sequaces ultimatè dimisisse secundūm desideria cordis eorum Ps. 89. ulterius liber manebo. Nec est, quod quispiam urgeat, non ea dumtaxat vitandi, quæ Augustino adversa, quin potius, quæ ab illo judicata veriora, de tanto Ecclesiæ lumine sancte sentientem amplecti debere. Præterquam enim, quod & alijs Ecclesiæ Patribus, Augustino oppositum docentibus, quos infrà per decursum allegabo, suum debeamus honorem : si loquendum foret, quod res est, distinguerem materiam morum, & disciplinæ, Ecclesiæ regimen tangentē, ac dogmata ad fidem supernaturalem pertinentia, à quæstionibus, in quibus sive unum dicas, sive aliud, stabit sanctitas Ecclesiæ, fideique integritas : in illis fixus oculus ad S. Augustinum, aliosque PP. semper tenendus, non ita in his posterioribus, pro quo, ne metam propositi transcendam, vide, si placet, opus de moderatione ingeniorum in Religionis negotio, &c. intitulatum, & à quodam sub nomine Lamindi Pritanij solidè, & utiliter elaboratum.

17. Concludo jam, & dico, efficacem, & absolutam Prædestinationem ad Gloriam meritorum prævisionem non antecedere. Hæc conclusio, quam grave à modernis habeat patrocinium, nemo est, qui ignorat. Ei quoque favent Sandi, & PP. ut S Chrysost. Orig. Theodore. Theophilact. ex Græcis, ex alijs Ss. Ambros. Hieron. & Fulgent. I i. ad Monim. c. 24. clarissimè tenens, quòd **D**eus prædestinavit ad Regnum, quos ad se præscivit Misericordiæ prævenientis auxiliōredituros, & in se Misericordiæ subsequentis auxiliō remansuros. Sed præceteris S. Francis. Salesius in Epistola ad P. Lessium è S. J. Annessi Gebennensium 27. Aug. 1681. datâ, & ex testimonio Eminentiss. Sfondrati, ac aliorum à PP. Societatis. Antwerpiæ in argentea Theca asservatâ, hanc conclusionem ita commendat: sententia illa antiquitate, suavitate, scripturarum nativa authoritate nobilissima de Prædestinatione ad Gloriam post prævisa opera sanè mihi gratissima fuit, qui nimirumeamsemper, ut **D**EI Misericordiæ, ac Gratia magis consentaneam, veriorem, ac amabiliorrem existimavi (potuítne amplius dixisse?) quòd etiam tantisper in Libello de amore **D**EI indicavi. Nec tām præclaram authoritatē huic sententiæ demunt

cor-

cordati Authores, ut quām maximē videre est in opusculo hac de materia ad mentem D. Augustini à nostro Laurentio Brancato, deinde Eminentiss. de Lauræa, editō. Imò si Antiquitas profundiùs accedenda, negari non potest, ante D. Aug. tempora hanc, quasi communem fuisse opinionem, ut S. Prosper fidus Augustinianæ doctrinæ, dum ei novitas prædestinationis ante merita opponebatur, scripserit Eidem: illud etiam argumentum, qualiter diluatur, quæsumus, patienter insipientiam nostram ferendo, demonstres, quod retractis priorum opinionibus penè omnium par invenitur, & una sententia, quâ propositum, & prædestinationem DEI secundum præscientiam DEI receperunt, ut ob hoc Deus alios vas a bonoris, alios contumelia fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit, & sub ipso gratiae adjutorio, in qua futurus esset voluntate, præsciérat. En! egregia sententia hujus ex antiquitate commendatio.

18. Nec ei opponas D. August. ad hoc S. Prosperti quæsitum responsionem i de prædest. Sanct. cap. 14. non esse videlicet opus, ut Patrum, ante se existentium, scrutentur opuscula, antequām enim Pelagiana hæresis eretur, necessitas illis nulla erat, in solutione difficultis hujus quæstionis versari: unde

factum, ut de gratia DEI sentimen bre-
viter tantum attingerent, & transeun-
ter. At, ut verum fatear, ad impugnan-
dum, Pelag. errorem necessaria non est
prædestinatione ante merita ; nec enim er-
rârunt, quia prædestinationem ex meri-
tis credebant, sed quia ex illis, naturæ
dumtaxat viribüs eliciendis : unde, et si
temporibüs S. Augustinum antecedentibüs,
hæc grassata fuisset hærefis, in
eam, PP. ætatis illius, non mutando sen-
tentiam de prædestinatione ex meritis,
æquè invehere potuissent, ac modò alij
ejusdem sententiæ. Quis item asseve-
rare potest, quòd si PP. illi abundantius
materiæ huic incubuissent, alterius sen-
timentis fuissent ? res facti est hæc, nec li-
fi divinationi subiecta. Et hoc pro Au-
thoritate extrinseca positæ conclusio-
nis : nunc videndum, an non etiam in
Sac. Biblijs & principijs Theologicis
fundamentum habeat.

§. IV.

Sac. Scriptura in favorem Affer- tionis.

19. Primum testimonium sit D.
Pauli, qui ad Rom. 8. ennumerans om-
nes actus, & decreta Divinæ volunta-
tis circa salutem hominum, tum ab
æternō definitam, tūm in tempore com-
ple-

pletam , sequentem ponit ordinem :
Quos præscivit & prædestinavit confor-
mes fieri imaginis Filij sui, ut sit ipse Pri-
mogenitus in multis Fratribus : quos au-
tem prædestinavit , hos , & vocavit , &
quos vocavit , hos & justificavit , quos au-
tem justificavit , illos & glorificavit . Cla-
rum est ex isto ordine , quod præscien-
tia , non naturæ , quia hæc etiam ad re-
probos tendit , nec peccatorum , quæ
reprobationem præcedit , sed bonorum
operum , sit ante prædestinationem ,
quodque ab æterno prædestinati , in tem-
pore subinde vocentur , justificantur , &
glorificantur : ut proinde , sicut in
tempore tria hæc posteriora ordinem ,
in quo posita sunt servant , in tali se-
etiam ab æterno in Divina consequan-
tur voluntate . Et hanc glossam appro-
bat , nisi forte Author sit illius S. Am-
broſ. quos præscivit , inquiens , hos &
prædestinavit , quia non ante prædestinavit ,
quam præscivit , sed quorum merita præ-
scivit , eorum præmium prædestinavit ergo .

20. Nec video quomodo huic te-
ſtimonio ſatisfaciat nota Cajetani ſu-
per hunc locum Pauli , quaſi ſcilicet ,
cūm ſimpliciter dicatur : quos præsci-
vit , & prædestinavit , non verò : quos
præscivit , hos & prædestinavit , ſicut , ad
alios actus deveniendo , ſemper apponi-

tur ly, hos, ut quos prædestinavit, hos & vocavit, quos vocavit, hos & justificavit &c. Hac ipsa loquendi diversitate palam fieret, posteriores hos actus esse distinctos, priores verò: quos præscivit, & prædestinavit, æquivalere, & esse synominoes, aut saltem unum non esse causam alterius, sicut prior ex alijs est causa posterioris. Si enim res ita intelligatur, tam solemnis D. Pauli textus omnino mancus redditur, & imperfectus; nam sit ly: *Et copulativum synominorum, & non potius auctivum, poterit utique unum ex illis ommitti* (quid enim opus idem bis repetere) & ita dici: nam quos prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui. . . . quos autem prædestinavit, hos & vocavit &c. An autem sensus hic sit completus, & non potius in prima parte aliquid deficit? Ex hoc eodem motivo retunditur alia ejusdem expositio, quod scilicet secundum D. August. & rei veritatem prædestinatio in sacris litteris non semel veniat nomine præscientiæ. Sit etenim hoc, sed in proposito textu, ni julcus sit, quod absit, dici id nequit.

21. Facit pro assertione secundò Epistola ad Corinth. i. in qua c. 2. adducitur ex Isaj. c. 64. *oculus non vidit, nec auris*

*auris audivit, nec in cor hominis ascendit,
quæ præparavit DEus e s, qui diligunt
illum: Non agitur hic de gloria in tem-
pore danda, sed de præparatione gloriæ:
quæ præparavit DEus diligentibus: In
opposita autem sententia præparatur ijs,
qui nec diligunt, nec non diligunt DE-
um, nec dilecturi prævidentur: ergo. Si-
militer etiam loquitur D. Jac volens
c. 2. avertere contemptum pauperum:
*Audite Fratres mei dilectissimi! nónne De-
us elegit pauperes in hoc mundo, divites in
fide, & hæredes Regni, quod repromisit
Deus diligentibus se? Ecce! dicitur De-
us elegisse pauperes, & non illos, qui
nec pauperes, nec non pauperes præ-
visi erant: repromisit etiam Regnum
diligentibus se, ut sit contractus quo-
dammodo onerosus Regni pro dilectione:
ergo.**

22. *Si dicās, non esse in his Pas-
sibus sermonem de elecione absoluta,
sed de universali, & conditionata, ut
sensus sit, Deum præparasse gloriam
ijs, qui essent dilecturi. Resp. Si stan-
dum sit in proprietate verbi, ut alias
Adversarij volunt, aliud esse: qui di-
ligunt, aliud: qui diligent: aliud item
diligentibus, & aliud dilecturis: cùm er-
go illud actualitatem importet, signi-
ficat, præparatum esse ab æterno Re-
gnum*

gnum iis, qui erant actu in mente Di-
vina diligentibus, hoc est, quorum dile-
ctionem, ut futuram Deus actu prævi-
dit: in sensu verò Adversariorum suif-
set dilectio pro signo prædestinationis
absolutæ merè possibilis. Deinde si
concederem etiam explicationem de
prædestinatione universali, & conditio-
nata, adhuc favebit Resolutioni posi-
tæ, ut infrà patebit, ubi ea ex tali con-
cludetur electione.

Nec contra hos textus, ita deductos,
urget, quod opponi solet, propterea
ommittendum.

23. Favet tertio Epistola 2. ad Ti-
moth. c. 2. *Si commortui sumus, & con-*
vivemus: Si sustinebimus, & conregnabi-
mus: si negaverimus, & ille (Christus)
negabit nos: Ubi eodem modō D. Pau-
lus de Regno obtainendo, & de negatio-
ne, quâ à Christo negabimur, loquitur:
ergo sicut, ut negemur à Christo, præ-
requiritur negatio illius, ita, ut con-
vivamus, aut conregnemus, necessari-
um est, ut comoriamur, & sustineamus. Favent denique omnia illa loca,
in quibus beatitudo dicitur *Merces* Luc.
10. *Bravium* 1. ad Corinth. 9. *depositum*.
1. ad Timoth. 1. *Corona justitiae*. ibidem
c. 4. *Si enim habet rationem mercedis,*
præmij &c. non est purum donum, sed
sup-

Supponit merita , quæ etiam sæpius pro
causal gloriæ allegantur , ut : quia in
paucā fuiſti fidelis , ſupra multa te con-
ſtituam , intra in gaudium Domini tui.
Math. 25. Reddet. unicuique ſecundum
opera &c. Math. 16. Pater vos amat
(& quis major amor , quām quō æter-
na conceditur felicitas ?) quia me ama-
ftis. Joan. 16. Et non , quia ita illi pla-
cuit duntaxat : Esto fidelis usque ad
mortem , & dabo tibi coronam vitæ Apoc.
2. Tranſeo plurima ejusdem , vel æqui-
valentes tenoris , ex quibus omnibus
concluditur , beatitudinem nemini gra-
tiosè duntaxat promissam , ſed ad mo-
dum contradicūs quaſi onerosi : quaſi
dico ; non enim durum , & difficile , ſed
ſuave jugum Christi , quod hic in contra-
rium venit , & onus ejus leve Matth. 11.
Atque ideo , instruit Trident. Sess. 6.
cap. 16. benè operantibus usque in finem ,
& in Deo ſperantibus proponenda eſt vita
æterna , & tanquām gratia filijs Dei per
Jesum Christum misericorditer promissa
(gratia utique Dei , quod æternam vi-
tam benè operantibus promiserit , cum
ſtante quoque opere potuiffet non
promittere:) Et tanquām merces ex ipſius
Dei promiſſione bonis ipſorum operibus
& meritis fideliter reddenda. Hæc eſt
enim illa corona iuſtitiae &c.

24. Ad hæc omnia, & centena alia,
si ad medium proferre opus esset, unicam
AA. opponunt distinctionem de ordine
intentionis, & executionis, volentes, esse
quidem dogma Catholicum, gloriam
habere rationem coronæ, quam nemo
sibi spondeat, nisi, qui legitimè certaverit.
2. ad Timoth. 2. At non ex eo, quia ex
prævisione certaminis promissa est, sed
quia ex alia voluntate statutum, glori-
am gratis promissam, effectivè nequa-
quam dandam, nisi post certamen, &
merita. Et hac distinctione attenta in-
ducitur concordia in Scripturis, quæ
quandoque insinuant, gloriam esse opus
misericordiæ, alias verò mercedem. Hæc
est communis cantilena, quam ut defen-
dant, aliqui eorum multùm operosi
sunt; hic enim, si deessent, actum foret
cum prædestinatione purè misericordi,
ut apud ipsos videoas. Porrò mihi animus
non est, separatum cum duplici hoc or-
dine habere negotium, an scilicet, quan-
do, aut quomodo admittendus: sed pro-
positi mei erit ostendere, distinctionē il-
lam hic locum non habere, quod fiet,
dum sequenti §. probavero, suppositâ
eâ, prædestinatis nullam relinquī liber-
tatem capessendæ gloriæ, cùm tamen illa
talis sit merces, quam perdere, aut af-
sequi in nostra situm est potestate. Per-
pende

pende itaque , quod inferius dicam , il-
ludque huc applica.

25. Solet quoque pro conclusione
adduci decretoria illa sententia , à ju-
sto Judice ad plenum Electorum gaudi-
um in Judicij magni die proferenda :
venite Benedicti Patris mei ; possidete pa-
ratum vobis Regnum & constitutione Mun-
di ; esurivi enim , & dedistis mibi man-
ducare &c. Matth. 25. ubi lij enim re-
fertur ad tò : *paratum* , ut sensus sit ,
paratum esse Regnum propter opera
misericordiæ : sicut æternus paratus est
ignis negantibus illa : *discedite & me ma-*
ledicti in ignem æternum , qui paratus est
diabolo , & Angelis ejus ; esurivi enim ,
& non dedistis mibi manducare &c. Est
enim utriusque sententiæ idem tenor.
Verùm non sine fundamento adnotavit
Baro noster , posse quempiam morari in
verbis illis: *Diabolo , & Angelis ejus* ; quia
enim Lucifer , & caterva illius non pec-
cavit denegando cibum , quomodo verū
erit , paratum illi esse ignem eò , quòd ,
esurienti in servis suis Domino , non
dederit ? debet ergo causalis *enim re-*
duciad discedite , ut sit causa damnatio-
nis executioni datæ , atque ita , si in pa-
ritate modi loquendi , à Scriptura usur-
pati , standum sit , in priori etiam Ele-
ctorum sententia causalis *enim ad veni-*
te ,

te , vel possidete retrò trahendum erit ,
nullatenus ad tò : paratum . Deinde ,
si sensus exactè perpendatur , appare-
bit , propositionem illam : qui paratus
est Diabolo , & Angelis ejus , esse me-
rum interjectum , nec pertinens ad sub-
stantiam Sententiæ , cùm non fiat ser-
mo ad Diabolum , sed ad præscitos tan-
tùm homines : ad hos verò directè ni-
hil in ea continetur , nisi , ut discedant
propter immisericordiam ad ignem æ-
ternum : Et quia etiam in secunda per-
sona pluralis numeri causa exprimitur :
esurivi enim , & non dedistis &c. ad illos ea
pertinet , ad quos est sermo , nempe ad re-
probos : proinde causa hæc illius est cau-
sa , quod in reprobos fulminatur , fulmina-
tur autem , ut in ignem descendant , per
consequens , &c. Jam loquendo à pari-
tate , glossa fieri potest similis ad alteram
Electorum sententiam , si ita vertatur :
possidete Regnum , quod vobis paratum est ,
&c. Quapropter non multùm huic fi-
dendum arbitror Authoritati , quàm
vis alij magnam in illa vim reperire vo-
lunt. Quòd autem S. Joan. Chrysost.
homil. 80. in Matth. explicet , nam , quia
*sciebam vos , antequàm nati essetis hujus-
modi futuros , hæc vobis à me præparatæ
fuere ,* facit quidem pro assertione posi-
ta , non tamen putandum , eum hunc

Mat-

Matthæi locum ita intellexisse, quasi causam præparati ediceret Regni, sed potius gratiâ materiæ id dixisse.

§. V

Prima ratio pro Assertione.

26. De fide est consecutionem Gloriæ esse arbitrio humano commissam, ut Eam quisque promereri possit, aut perdere, sed si Prædestinatio absoluta nostra antecederet merita, id non verificaretur: ergo. *Prob. min.* Quod ad aliquod antecedens necessariò sequitur, in nullius est arbitrio, & potestate, nisi sit & illud antecedens in eadem potestate, sed ad Prædestinationem absolutam necessariò Petrum e. g. sequitur gloria, nec Prædestinatio illa est in potestate ejus: ergo. *Maj.* est principium universale contra Prædeterminantes, & meritò; debet enim distinctio esse inter eum, qui semet commisit scanno, & qui ab alio, cui resistere nequit, illi impositus est, quāmquām uterque, dum sedet, necessariò sedet: *omne enim, quod est, quando est, necesse est esse, sed quæ, nisi quòd unius sessio proveniat ex propria voluntate, non alterius?* *Min.* etiam constat, quia Prædestinatio illa absoluta fuit facta ante merita libera, & cùm absoluta, & efficax sit, nul-

jam resistentiam admittit. Fortis mihi apparet hæc Ratio, quæ proinde AA. mirè torquet, ut videre est tūm ex sedulo eorum insolvenda illa labore: tūm quòd quædam in responsionem adducant, quæ si alibi occurrant, nec ab ipsis reciperentur, idque etiam in alijs eorum pro hac materia principiis adverte re licet. Res experimenō fiet clara.

27. Adferunt itaque jam suprà ex Num. 24. notam distinctionem de ordine intentionis, & executionis. Nam tam si DEus sine respectu ad voluntatem, aut merita Petri statuerit ei gloriam, vi hujus tamen decreti, quod ad ordinem intentionis spectat, necdum ille gloriam possidebit, sed quia in sequenti statuit signo dare eam ut Mercedem meritorum, liberè ponendorum; & voluntas hoc statuens est quid ordinis executionis. Primum ergo Decretum respicit gloriam simpliciter nec dandam ut donum, nec ut præmium: alterum autem terminatur ad eam tanquam præmium ob merita, quæ quia liberè eliciuntur, libera quoque gloriæ est consecutio, verificatürque, quòd gloria sit vi primæ Prædestinationis Petro gratis promissa, ly gratis, seu gratuitate se tenente ex parte Actus Divini

ni prædestinatis tantum (quatenus Deus ad illum necessitatus non est) non ex parte objecti, seu gloriæ, quam non decrevit gratis dandam, sed potius vi-
gore subsequentis decreti in remunera-
tionem meritorum. *Equidem fateor,*
duplicem hunc ordinem non videri pu-
gnantem, ut quidam evincere magno
quidem conatu, sed infelici eventu ad
laborant; quid enim vetat, *libeat ex*
humanis exemplum sumere, ne dux à
nemine, nisi præcisè à propria motus
voluntare, 100 Solidos duobus, aut
quotquot mavis, largiri statuat militi-
bus: & mox subinde decernat, eosdem
dare illis in remunerationem exercitū
generositatis? Ita autem intentionis
adest voluntas, & executionis, idque,
quod à duce gratuitè destinatum, militi-
bus executivè non nisi ob generosos
obvenit actus.

28. At quāvis hoc, aliāque ex-
empla ad facilitandum ad inventa cap-
tum, lubenter admittam, vix tamen ad
aliud deserviunt, præterquā ad inten-
tionis, & executionis explicanda decre-
ta; sum namque persuasus, quòd, si
prima produci Ducis voluntas foret ef-
ficax, & mutationis nescia, milites, sint
dein generosi, vel desides, & otiosi, ha-
bebunt denique aureos: proinde nego-

etum hoc ita exemplificare , est difficul-
tatem de casu in casum transferre.

Contra distinctionem itaque in se
evidenter ita arguo. Illud est liberum Pe-
tro, quod à liberis illius pendet meritis,
sed stante supposito , & explicatione
AA. Gloria secundum se, & in substanc-
tia ab illis non pendet, benè verò modus,
& quædam , ut ita dicam, denominatio
Gloriæ , scilicet quòd sit merces, & co-
rona : ergo illa in substantia Petro libera
non est, sed modus duntaxat eam haben-
di. **Maj.** est aperta: **Min.** est , ut dixi ,
explicatio **AA.** volunt enim, Decretum
in ordine intentionis respicere rem in se ,
præscindendo ab omni, quòd produci po-
test, modò , Decretum verò executionis
modum ipsum ; atque ita sicut si DEus
simpliciter Tritici statueret abundantiam
(& hoc est unum ex exemplis, quod
ad naufream repetit Mastrius) nihil de-
terminando, utrum mediò pluviae com-
petentis, aut aliò quocunque sit effectu-
anda ; tale erim postea primò decerne-
retur : ita statuit DEus dare Gloriam
Petro simpliciter , & in sequenti deinde
signo statuit eam dare ob merita , qua
proinde statutio terminatur ad modum ,
quò danda est. Est ergo **Min.** secundum
illos vera, & quid de *consequentia* nisi bo-
nitas expectanda ? & tamen consequens
su-

sustineri nequit, quia multum interest
Petro, ut sit beatus, parum autem, an
hoc sibi obtingat ut donarium, aut ut
præmium.

Posset hic dici, Decretum intenti-
vum causam adæquatam non esse, sed
inadæquatam collationis Gloriæ, utpote
quæ radicaliter tantum, non formaliter,
& completem ex illo sequitur. Verum
quia iterum hoc ipso ſ recursus, an per
hoc argumentum solvatur, expectan-
dum est, & interim.

29. Contra principalem responsi-
onem denuo argumentor: Petrus in
priore primi Decreti signo erat sub me-
ra possibilitate, & indifferentia ad meri-
ta, & omissionem eorum, ut pro tunc
verum fuerit de eo dicere; potest actu,
& proximè se determinare ad merita,
vel demerita, ac in tali indeterminatione
fuit à DEO pro illo tunc visus. Ponat-
tur autem, quod in signo sequente po-
steriore elegisset partem, quid erit de
primo Decreto prædestinante? eritne
Petrus vigore illius beatus? si non: er-
go illud aut non fuit efficax, aut non
absolutum, cùm ab unica Petri volun-
tate evacuari queat. Si ita? manet, quod
dixi, Petrum esse omnino beandum, sive
bonus sit, sive malus, aut non bonus.
Si pretendas, stante primo Decreto in-

fallibile esse Petrum se determinatum ad merita, impingis alibi; nam cui adscribis eam infallibilitatem? vel primo Decreto, vi cuius necessariò sequitur aliud de meritis ponendis? & sic enervas Petri circa merita libertatem, facisque, ne merita sint merita, quia non libera. Si piæ inclinationi, & bona Petri indoli? fateris effectum liberè futurum, ex pura inclinatione, & proxima voluntatis dispositione obtinere infallibilitatem, quod apud nos saltem concedere non licet, ne consequenter concedatur, effectus liberos à DEO in dispositione causæ prævideri.

Semper itaque præ oculis habendum, percipi haud posse, unde omnes illi, quos Deus primo Decreto prædestinavit, habeant, quod sint infallibiliter vocanti DEO responsuri, ut in sequenti dein signo eis Gloria conferri effectivè possit in præmium, cum tunc nihil omnino circa eos actum, sed purè putè ad Gloriam gratuitè sint electi: Profectò domi nostræ habemus, nihil certi, & determinati de liberis dici posse operibus sine concomitante, aut coincidente, propriùs loquendo, Decreto, quod tamen pro illo tunc abest, sicut & Decretum prædeterminans, Thomistis familiare: imò nec pro primo illo signo

signo (ut ita appareat , etiam in sen-
tentia RR. qui scientiam medium ad-
struunt , falsum id esse) ex se futurum
bonum opus fuit , seu meritum , alias
prædestinatio non foret sine meritis
prævisis , ut patet : ad eoque .

30. Ut autem principale , ex liber-
tate consecutionis gloriæ pro Conclu-
sione deductum , ultra jam dicta illu-
strius evadat , juvat ad Mysterium In-
carnationis descendere , ac supponere ,
quòd ex Scotti doctrina in 3. dist. 7. q. 3.
& d. 19. quæ aliis pluribus etiam extra
illius scholam placet , Sacramentum il-
lud volitum à DEo fuisse præviè ad præ-
visum Adæ lapsum , volitum quidem
simpliciter quoad substantiam , seu unio-
nem humanitatis ad Verbum , præscin-
dendo ab omni qualitate , & conditio-
ne corporis humani , an scilicet in - an
passibile esse debeat (en ! Decretum in
ordine intentionis circa Incarnatio-
nem) ut enim passibile sit , deinde pri-
mò sanctum occasione universalis Ca-
thaclysmi , cuius medicinæ apta id ma-
teria visum est : & hoc est Decretum
executionis . Hæc , inquam , Doctrina
est Subtilis , & Sequacium ! ex ea autem
inferimus , tanquam aliquod conse-
quens , quòd Incarnatio , Adamo quo-
que non peccante , futura fuisset indu-

bis, in carne saltem passionis experte, & cur hoc? ex eo scilicet, quod primum Decretum exigit quidem aliud, cuius est assignare conditionem corporis, seu modum, sub quo illud executioni dandum, at non exigit contingenter, quasi stante illo omissi hoc possit, sed necessario, ne evadat inefficax, seu potius, ne contra suppositum negetur unquam fuisse efficax.

Hoc jam attentè considera, &, materia tantummodo mutata, ad præsens, applica, & videbis, quam fortunatus, & securus fit, de Beatitudine Petrus, sed quam misera illius circa eam libertas, cuius tamen non modica cura Orthodoxis necessaria.

31. Ex his ita deductis, & firmatis ruit, quod AA. ad tuendam libertatem ultrà dicunt, nempe, non omne Decretum antecedens libertati esse inimicum, sed illud tantum, quod non dicit respectum ad aliud Consequens, virtualiter in se inclusum: jam verò etsi Prædestinationis Decretum præcedat merita Petri libera, ea tamen virtute includit, nec nisi per illa executioni mandatur, ejusque consumatur efficacia (& hoc est, quod suprà in fine Num. 28. ex illis insinuatum, Decretum in ordine intentionis adæquatam non esse causam gloriarum,

riæ , hancque radicaliter tantum ex illo sequi) quia verò merita à libera Petri dependent voluntate , Decretum illud primum non aufert respectu gloriæ libertatem , nec plenè suppositio antecedens dici potest. *Ruit* , inquam , hoc , si præmissa penitiùs inspiciantur. Sed præterea libet etiam sic dialectari , & quærere ; unde habeat primum Decretum , quod virtute includat merita ? si ex se , seu sui natura ? ergo positò , illò , necessariò sequentur merita , antequam se ad illa determinasset Petrus , per consequens non tantum gloria , sed merita quoque non erunt libera. Si ex eo , ut illi reverà volunt (quod antecedenter universali beneplacito voluerit omnes homines fieri depedenter à meritis salvos ; hoc etenim suppositò , si deinde statuat salutem Petri , sequitur effectivè cum nequaquam salvandum nisi meritis eliciti. Atque hoc est , Decretum ordine intentionis virtualiter , radicaliter includere merita. Ast sit hoc verum , quid inde ? infertur quidem Decretum Prædestinationis , in ordine intentionis latum , esse per merita executioni mandandum , ne priori de omnium salute beneplacito contradicat , non tamen , quod merita (& ita nec Gloria) futura sint libera ; debebit nam-

que ea Petrus habere vi alterius de sui salute voluntatis, ne aliàs reddatur inefficax, si in sequenti signo concipetur, ut nolens ponere merita. Denique ut finis huic imponatur §. Quid Scotista, aut alius dicet Thomistæ, si hic illæsam hominis libertatem à Decreto prædeterminante sic discurrendo tueri voluerit? Decretum antecedens, seu prædeterminans Petrum v. g. ad amorem, quàmvis sit ante prævisam co-operationem ipsius Petri factum, simùlque efficax, quia tamen executio ni non datur, nisi dependenter ab illa cooperatione, quam virtute includit, non destruit, sed compatitur libertatem eò, quòd cooperatio ipsa à Petri pendeat voluntate. Et si quæras ab illo, unde habeat Decretum illud, quòd virtute includat co-operationem? mox reponet, ex hoc, quòd DEus generaliter statuerit finere causas secundas, ut suos agant motus, conformiter ad eorum agendi mòdum; proinde si decrevit deinde amorem à Petro eliciendum, infertur eum liberè eliciendum. Quid ad hoc? nónne sicut merita libera sint, necesse est, ita etiam cooperatio Petri ad amorem?

§. VI.

§. VI.

Prædicta Ratio à Retorsionibus defenditur.

32. Volentes AA. vim huc usque
promoti argumenti minuere , ad aliam
materiam , quæ tamen , ut ajunt , com-
munis est , difficultatem transferre co-
nantur , ut ita speciale non sit , quod ali-
as etiam premit. Et primò

Sumunt occasionem ex materia de
Gratia ; nam eam , quæ congrua , & ef-
ficax dicitur , prædestinavit DEus Pe-
tro , antequam illum , in hac , aut illa
circumstantia positum , hoc , aut illud
operaturum prævidisset ; atqui hæc gra-
tiâ suppositâ infallibilis est consensus
Petri , nec tamen ulli in mentem venit
Catholicorum , consensum non fore li-
berum , ne omne meritum dicatur ne-
cessarium , dum quodlibet talem suppo-
nit gratiam . Sed *Respond.* hanc instan-
tiam procedere ex Gratia congrua , &
incongrua malè intellectis ; non enim in
ratione qualitatis , aut physica distin-
guuntur entitate , quasi una earum vi
sua inferret consensum , non altera : sed
in ratione doni , seu moraliter dunta-
xat , aut etiam connotative . Dico ita-
que , DEum Benedictum post Decre-
tum providendi omnibus gratiâ suffi-
cien-

cientissimâ ad merendum , sed ante aliud de hujus speciei Gratia (multipli-
ces enim sunt Gratiæ, sed omnes æque,
quantum est de se , ad movendum ho-
minem aptæ) Petro dandâ , prævidisse ,
eum huic tantùm Gratiæ ex propria vo-
luntate cooperaturum , non alteri ,
quàmvis & alteri potuisset , si voluisset :
Dum ergo in sequente signo statuit, Pe-
trum hujusmodi prævenire Gratiâ (&
hoc est speciale donum) utique stante
ea infallibilis est consensus Petri , sed
unde? fors , quia Gratia in se tantæ est
efficacitatis , ut necessariò illum infe-
rat? nequaquam ; sed quia ipse Petrus
se ad consensum suppositâ illâ Gratiâ
determinavit : Et si se sub alia Gratiâ ,
quàcunque tandem , ad consensum di-
sposuisset , non sub hac , illa foret effi-
cax , non hæc. Non ergo Gratiæ tan-
tum adscribitur consensus , ne liber non
sit , sed liberæ Petri cooperationi ; quod
clarè docet Trident. cap. 5. Sess. ut , qui
per peccata à DEO aversi erant , per eus
excitantem , atque adjuvantem Gratiam
ad convertendum se ad suam ipsorum ju-
stificationem , eidem Gratiæ liberè assen-
tiendo , & cooperando disponantur : ita ,
ut tangente DEO cor hominis per Spir-
itus Sancti illuminationem , neque homo ip-
se nibil omnino agat , inspirationem illam

recid-

piens, quippe qui illam & ab ijcere potest,
neque tamen sine Gratia DEI movere se
ad Justitiam coram illo libera sua volun-
tate possit eō, quod meritum, seu bo-
num opus sine Gratia elicitum sit respe-
ctu justificationis improportionatum.
Nunc considera, an eadem ratio, & non
potius palmaris sit disparitas de Gratia
efficaci, quæ non est talis, nec infallibi-
liter adnexum habet consensum, nisi ex
Petri voluntate, & de Dectrō prædesti-
nante in AA. sensu, ex quo sequitur glo-
ria certissimè, ut latō IIIō in eadem si-
gno verum sit dicere, Petrus habe meri-
ta, aut gloriam, cùm tamen, donec Pe-
trus proximè liber intelligatur, nullum
fas sit actum sine periculo falsitatis de-
terminatè asserere. Non nego, rema-
nere contra hanc Gratiæ efficacis expli-
cationem oppositionis locum, sed quia
supponi debet, alibi defendenda, in illa
ultra propositum amplius morari non
licet.

33. Aliam sumunt instantiam ex
Perseverantia finali, hæc etenim est,
ut Trident: loquitur sess. 6. can. 16.
*Magnum illud usque in finem perseveran-
tiæ donum, quod, ut antea cap. 13. do-
cuit, aliunde baberi non potest, nisi ab eo,
qui potens &c. à solo ergo deo datur, &
quidem sine meritis, aliâs magnum do-
num*

num non esset , sed Merces , & præmi-
um , sicut est gloria in Sententia posita ,
& tamen Petrus habens illam securus est
de salute , qui enim perseveraverit usque
in finem , hic salvus erit , promisit Chri-
stus apud Matth. c. 10. jam autem quid
est magis laetivum libertatis , Prædesti-
natio ad gloriam immediatè , an ad ali-
ud , quod illa necessariò consequitur ?
At salvò meliori judiciò , alium , quam
illi perseverantiæ finalis formandum
putarem conceptum , ut scilicet in re-
cto , & formaliter aliud non sit , quam
meritum hominis , gratia adjuvante eli-
citum , quod , quia connotat mortem
mox securoram , dicitur finale , seu ulti-
mum , ad quod sequitur proinde gloria.
Sicut ergo D. Deus per vitæ decursum in
Petro tales excitat gratias , & internos
animæ motus , quorum ope peccato
dissensurum , aut si lapsus sit , ad Pœni-
tentiam reversurum prævidebat , pari-
ter id agit in ultimo vitæ momento ; &
quia tunc ex cursu causarum secunda-
rum , quem DEus non impedit , finis
adest vitæ , habet Petrus Perseveranti-
am finalem : Proinde , ut vides , non alia
hic adest quoad libertatem difficultas ,
sed eadem , quæ in priori instantia de
gratiæ efficacitate soluta est . Quod
autem ita dicendum esset , non obscure

ex

ex Sac. Litteris deducitur ; nam , ut
paulo ante , ex S. Matth. finaliter perse-
verans certus est de salute , ex S. Paulo
verò vult DEus salvos fieri omnes , de
quo in sequent. §. si promeriti fuerint ,
non quidem per vitæ fluxum duntaxat ,
sed necessariò in vitæ termino ; adeoque
non aliud est Perseverantia finalis , quām
meritum finale , idem enim ex utrius-
que Sancti doctorina ad vitam requiritur
æternam , & Perseverantiam finalem ,
quam D. Matthæus exprimit , alter im-
plicitè subintelligit : per consequens &c.
Magnum nihilominus donum est perse-
verantia ista , alijsque etiam donis ma-
jus , quia illo rectè tempore , quō mors
imminet gravioresque urgent tentatio-
nes , gratiam sive ad perseverandum ,
sive ad resurgendum efficacem Divina
largetur Misericordia : sine Gratia quip-
pe alio tempore data , de salute necdum
actum , si verò in ultimo momento de-
sit , nulla spes amplius superest : Prop-
terea incessanter orandum , ac per bono-
rum operum exercitium ab illo eff lagin-
tanda , qui potens est eum , qui stat , statue-
re , ut perseveranter stet .

34. Si dicas , quod juxta datam ex-
plicationem etiam Natura ipsa , seu cau-
ſæ secundæ ad Perseverantiam finalem
conducerent. Respond. Non mirum ,
quod

quòd naturalia quoque juvent ad salutem; nónne multùm eam promovet bona, & pacata indoles, ad pietatem prona, & ab exorbitantia passionum utcunque libera, &c. sola itaque natura non sufficit, occasio tamen esse potest, aut conditionem ponere, ad quam, si Gratia accesserit, æterna sequitur salus. Profine advertit hìc P. Baro Noster, quòd si quis, pessimæ etiam vitæ, in morte tantùm convertatur, finalem dicitur habere perseverantiam, sine hac enim non est salus, & tamen quomodo propriè perseverare dicendus, cùm primò incepit? Item aliis sæpè cadit, sæpe etiam resurgit, si mors tunc, dum à lapsu reparatur iterum accidat, perseverantiam habere dicitur, sed quomodo, cùm perseverentia variationem excludat? Fattendum itaque, nisi Catholica prohibeat veritas, Eam ipsissimum finale esse meritum, & ad eam multùm naturalem conducere mortem.

§. VII.

Præsuppositum ad aliam Rationem pro Conclusione.

35. Proba per antecedentes duos ~~ſſ.~~ adducta, & propugnata procedit ex suppositione, quòd sit ab æternô absolta salvandorum Prædestinatio, distincta modò aliquò à generali voluntate sal-

vandi omnes, quæ est conditionata. Proponam nunc aliam rationem, fortassis ostendentem, suppositum illud non subsistere, quô facto clarum est ruere AA. sententiam; stabit quidem, Prædestinationem antecedere merita, sed non eam, quam imaginantur.

Advertendum itaque Patribus, & Theologis communissimam, & ad commendandum DEI erga creaturam rationalem amorem per opportunam esse sententiam, quæ dictum illud D. Pauli 1. ad Timoth. 2. DEus omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire ita intelligit, ut DEus Benedictus habeat ex mero suo Beneplacito antecedenter ad quodcumque hominis meritum, voluntatem sinceram, candidam, & quantum est de se, efficacissimam de omnium omnino, & non aliquorum tantum salute, quæ quidem voluntas non est plenè absoluta, alias nullus daretur reprobis, sed conditionata, seu ut eam effectus, id est, actualis sequatur salus, exigit merita, tamquam conditionem ad id necessariò requisitam, nobisque in alijs, & quidem copiosissimis Scripturæ Locis revelatam, in quibus vita æterna non alijs, quam legitimè certantibus, &c. promittitur: Eodem fermè modō, quô Rex militem promovere vellet, si

D

gene-

generosè certaverit, & ob hoc arma daret ad fortiter pugnandum necessaria, & idonea: at si ille, relictis in pace armis, otiosum Belli ageret testem, suā tantum desidiā Regis voluntatem in se non experiretur impletam. Sic etiam D. Deus vigore universalis suā voluntatis dat cuivis auxilia, & gratias ad meritorie operandum perquām idoneas, quibus si quispiam non cooperetur, non DEI, sed illius est defectus, quod salutem aliquando non consequatur. *Perditio tua ex te Israël, ex me tantum auxilium tuum.*
Osee. 13.

36. Hanc porrò sincerissimam DEI voluntatem non tantum significat in alio D. Pauli testimonio universalis ille terminus: *Omnes, qui utique propriè accipiendus, cùm nullum ex hac acceptione inconveniens, absurdum, aut contradictione sequatur; sed etiam omnia ea loca, in quibus testatur Dominus Deus, se nulli, nec perversis sufficientissima negare auxilia: Jerusalem, quoties voluē congregare filios tuos, sicut Gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Matthæi 23. *Quid est, quod debui ultrè facere vineæ meæ, & non feci? nihil utique: si ergo quoscunque indiscriminatim opportunè adjuvat ad salutem, quis exclusus est ab illa misericordi voluntate?*

te salvandi omnes? Profectò Ecclesia
nunquam didicit pro aliquibus tantùm
DEum orare Omnipotentem, sed po-
tiùs bonum, & acceptum esse, ut instruit
Apostol. cit. coram Salvatore nostro Deo
fieri obsecrations, & orationes pro omni-
bus hominibus, ut vitam agant in omnī
pietate &c. Christus JESUS etiam de-
dit Redemptionem semetipsum pro omni-
bus: adeoque. Confirmatur ex illo sa-
pientiae c. 6. *Pusillum, & magnum ipse*
fecit, æqualis est illi cura de omnibus, si
æqualis de omnibus: ergo nullus ex-
emptus à generali voluntate salutis, ut
proinde quoad hanc non sit distinctio Ju-
dæi, & Græci; nam idem Dominus om-
nium ad Rom. 10. Nec apud Deum est
Gentilis & Judæus . . . Barbarus, &
Scytha, seruus & liber, sed omnia & in
omnibus Christus: Sicut non est distin-
tio apud illum quoad creationem, &
dominium super omnes, ex quo Apo-
stolus etiam quoad voluutatem salvan-
dandi omnium infert æqualitatem.
Conformiter ad hoc advertit S. Ambros.
lib. 1. c. 13. *Quis operator negligat ope-*
ris sui curam? quis deserat, & destituat,
quod ipse condendum putavit? nam ali-
quid non fecisse, nulla injuria fuit, sed
non curare, quod feceris, summa inclemen-
tia. Tandem Theologi universim do-

cent humanum genus moderno rerum
ordine in statu pure naturali creatum
non esse , sed ad supernaturalem eleva-
tum ordinem : Hic verò est Ordo gra-
tiæ , & gloriæ , quas , quia Deus cuili-
bet , nemine dempto , dare statuit , to-
tum hominis genus in supernaturali or-
dine collocatum intelligitur.

37. Scio , quosdam hanc genera-
lem Dei negare voluntatem , fultos au-
thoritatem D. August. c. 103. Enchir. qui ,
quod scriptum est , vult omnes homines sal-
vor fieri , intelligit , tamquam diceretur
nullum hominem fieri salvum , nisi quem
salvum fieri ipse voluerit , non , quod nul-
lus sit hominum , nisi , quem salvum fieri
voluerit &c. Vel : ut omnes homines o-
mne genus humanum intelligamus , per
quascunque differentias distributum: Re-
ges , privatos , Nobiles , ignobiles ... Do-
ctos , indoctos ... Mares fæminas , infan-
tes et si quid aliud differentiarum est
in hominibus . Quid est enim eorum , unde
non Deus per Unigenitum suum Dominum
nostrum per omnes gentes salvos fieri homi-
nes velit ? Quod autem to : omnes ita in-
telligentum sit , ostendit ex alia Christi
phrasí apud Matth. c. 23. ubi ad Phari-
æos : Decimatis mentam , inquit , & ru-
tam , & omne olus. Neque enim , ait San-
ctus , Pbarisæi quæcunque aliena , & per
omnes

omnes terras omnium alienigenarum omnia
oler a decimabant : sicut ergo hic omne olius
omne olerum genus , ita illic omnes homines ,
omne hominum genus intelligere possumus .
Et hoc est , quod logicè dicunt , passum
illum D. Pauli pro generibus singulo-
rum supponere , non pro singulis gene-
rum . Sed scio etiam , S. Augustinum
sæpè se explicuisse , ly : *Omnis in relatis*
tantum accipiendum sensibus , si per D.
Pauli textum absolute Dei de hominum
salute intelligatur voluntas ; si enim ta-
lem haberet Deus de omnium omnino
salute , nemo utique esset , qui non sa-
luaretur , alias verum quomodo esset ,
quod canitur psalmo 115. Deus autem
noster in celo sursum , omnia , quæcumque
voluit , fecit in celo , & in terra ? At quia
familiare est Theologis ut in principio
notavi , divinam in absolutam , & condi-
tionatam distinguere voluntatem , con-
ditione se ex parte ponendi duntaxar
termini tenente , si Passus D. Pauli in-
telligatur , ut debet , de posteriori hac
voluntate , non est , cur non in sua plena
intelligatur universalitate , tametsi non
salventur omnes , ob non impletam ab
ipsis conditionem , quod totum Com-
mentator Matth. apud S. Ansel. in c. 6.
ad illa verba : fiat voluntas tua , hisce in-
*nuit verbis : **Duae sunt voluntates in Deo :***

una misericordia, quæ non est cogens, neque aliquid libero arbitrio auffert, quod omnes homines vult salvos fieri, quod tamen in libera eorum potestate positum est. Est & alia, quæ est de effectibus rerum, de qua dicitur: omnia quæcunque voluit, fecit. **H**uic nemo potest resistere, de qua dicitur, voluntatis eius quis resistet? hæc providentia concordat semper, alia vero non semper. Si enim velit per misericordiam de aliquo prævo, quod sit justus, & conferat ei gratiam suam, & tamen ille per liberum arbitrium contradicat, nec gratia Dei consenserat, bæc voluntas Dei non concordat providentia. Itaque homines resistunt voluntati Misericordiae Ec.

38 Nec si D. Paulus ita intelligatur, contrarius est S. Augustinus, cùm post relatos ex illo duos intelligendi modos mox subjungat: *Et aliò modò intellegi potest, dum tamen credere non cogamur, aliquid Omnipotentem DEum voluisse fieri, factumque non esse; quia veritas cantat: omnia, quæcunque voluit, fecit.* Ennegavit sensum universalem dicti D. Pauli, si intelligatur de absoluta salvandi voluntate, hâc enim, quod voluit, factum non esse, nefas est cogitare: non verò, si de conditionata, quæ non tam facile negari potest, ut præter jam dicta ex hoc quoque patet; nam utique

que omnes eos vult Deus salvare , qua-
rum Salvator est Christus , sed est omni-
um omnino nullō exclusō ; si enim ali-
qui excluderentur , maximē reprobi ,
quod tamen dici nequit , est namque
Salvator omnium hominum , maximē si de-
lium 1. timoth. 4. particula autem ma-
ximē est aliorum etiam , nempe infidelium
inclusiva : & 1. Corinth. 8. quærit
Apostolus peribit infirmus in tua scientia ,
pro quo mortuus est Christus ? Quapropter
testatur S. Leo serm. 11. de Pasion. &
serm. 1. de Nativit : Pro omnibus impijs
mortuō Dominū etiam Judas in eo potuisset
consequi remedium , si non festinasset ad
laqueum Dominus enim noster pec-
cati , mortis que destructor , sicut nullum à
reatu liberum reperit , ita liberandis om-
nibus venit . Certè hoc negare est augu-
stissimum Redemptionis Pelagus in ar-
ctum amoris erga homines rivum indi-
gnè restringere . Unde ipse Augusti-
nus Christum Dominum ita reprobos
ad propositum alloquentem inducit :
Videte vulnera , quæ inflixistis : agnoscite
latus , quod pupugistis , quod & per vos ,
& propter vos apertum , nec tamen intra-
re voluistis : utque se purgaret à calum-
nia à Pelagianis objecta , quasi doceret ,
ut omnes salventur , Dei non esse vo-
luntatum , ad Articulos sibi oppositos

inter reliqua art. 2. ita monet : **S**inceris-
si mè credendū , atque confitendum, Deum
velle omnes salvos fieri , & quòd multi pe-
reant , pereuntium est meritum. Ex ore
ergo Domini nostri JESU Christi audi-
vimus , ait S. Clem. Romanus l. 2. Con-
stit. Apostol. c. 59. & perfectè scientes di-
cimus , quæ sit voluntas Dei bona , pla-
eens , & perfecta , per JEsum Christum
nobis demonstrata , ut nullus intereat , sed
universi homines unanimi Sententia cre-
dentes ei , & unanimem laudem ferentes in
eum vivant in æternum. Conditio sola
itaque latet ex Glossa S. Ambr. super
Ioc. cit. D. Paul. vult enim Deus omnes
salvos fieri , sed si accedant ad eum ; non
enim sic vult , ut nolentes salventur , sed
vult illos salvari , si & ipsi velint. Idem
habent SS. Chrysost. Hieron. Dama-
scen. &c.

§. VIII.

Proponitur secunda Ratio pro Conclusione.

39. Suppositâ , & breviter , sed ut-
cunque persuasa , & à potioribus ex AA.
admissa DEI voluntate de omnium ho-
minum salute , si præstiterint præstan-
da , sic pro conclusione arguo : decrevit
DEUS , quantum est de se , efficacissimè
salutem omnium hominum , si fuerint
in

in gratia : ergo non habet aliam deinde
voluntatem , quâ aliquos tantùm non
prævisis eorum meritis absolutè præde-
stinavit ad illam prob. Conseq. Non da-
tur, fortè nec possibilis est, duplex effi-
cax de eodem effectu voluntas, nam per
alteram amplius non fiet , utpote jam
plenè , & sufficienter determinatus per
unam eōipsō, quòd efficax sit, sed si De-
us post illam generalem , aliam de salu-
te aliquorum haberet voluntatem, utra-
que foret de eodem ; secunda enim est
de gloria Petri e. g. prima similiter, cùm
de omnium esse non possit gloria, nisi
sit quoque de gloria Petri , est etiam ,
quantum est de se , efficax , ita , ut illi,
quà ad gloriam terminata nihil desit :
ergo. Et majoris claritatis gratiâ ul-
terius ita deducitur , & simul *confirma-*
tur conclusio : tenor voluntatis gene-
ralis est : volo efficaciter , omnes habe-
re gloriam , modò in sanctificante obje-
rint gratia, & quia universalis est , æqui-
valet , aut potius includit hæc decreta :
volo , ut Petrus , volo , ut Paulus , ut
Joannes &c. infallibiliter habeant glori-
am , si ingratia suos clauserint dies : Jam
autem vides , gloriam Petri esse præde-
stinatam, nec, ut eam actu habeat, quid-
quam aliud deesse præter solam gratiam
ultimam : Sufficit ergo , ut hæc dunta-

xat in posteriore decernatur signo , &
non amplius gloria , ad quid enim ?

40. Mirum præterea quām eviden-
ter hæc doctrina roboretur ab ea ,
quæ Juristis frequens & usitata , nempe
omnem consensum & voluntatem con-
ditionatam , purificata conditione tran-
fere in absolutam , ut opus non sit illam
repetere , atqui voluntas salvandi om-
nes generalis est conditionata : ergo ad-
impieta conditione eō ipsō evadit abso-
luta , nec opus est aliâ . Accipio item
doctrinam , quam decretorum conditio-
natorum Patroni adhibent : Volunt
autem , quod sicut conditio , & effectus ,
in sui existentia , aliquando habenda ,
ab illa dependens , sunt duo distinta ,
quorum unum de se esse potest sine alio ,
ita quoque duplex pro illis exigunt de-
cretum : & quando effectus determina-
tus jam est , si hæc , aut illa adfuerit
conditio , ut ille actu fiat , necessum qui-
dem est , decretare conditionem , non
tamen ultrà effectum ipsum ; hujus
namque primum decretum permanet
firmum , per consequens aliquid effi-
cere debet , quid verò efficiet , si aliud ite-
rum ad ponendum requireretur effe-
ctum ? adeoque . Ejusdem etiam opi-
nionis sunt SS. Patres sic S. Ambros. in
Psalm. 118. *Mysticus ille sol. justitiae ait,*
omni-

omnibus ortus est , omnibus passus , omnibus venit , & omnibus resurexit . Si quis autem non credit in Christum , generali beneficio (& non aliqua speciali prædestinatione) ipse se fraudat , ut si quis clausis fenestrâs radios solis excludat . Et lib . 2. de Abel , & Cain c . 3. Omnibus opem sanitatis detulit (Assertor noster) ut quicunque periret , mortis suæ causas sibi adscribat , qui curari noluit , cum remedium haberet , quô posset evadere : Christi autem manifestè in omnes prædicetur misericordia , & quod , qui pereunt , sua pereant negligientia , & qui salvantur secundum Christi sententiam liberentur , qui vult omnes homines salvos fieri , & in agnitionem veritatis venire : ergo , qui liberantur , seu salvantur , per generalem illam , & non specialem aliquibus salvantur voluntatem . D. Hieron . in c . I . ad Ephes . inquit . vult salvari omnes , & in agnitionem veritatis venire : sed quia nullus absque propria voluntate salvatur (liberi enim arbitrij sumus) vult nos bonum velle , ut , cum volluerimus , velit ipse in nobis suum implere consilium , utique illud generale , quod Sanctus præmisserat : proinde .

Atque ob hanc rationem non asserui in conclusione , prædestinationem post prævisa fieri merita , sed eam , ut abso-

absoluta est , merita non antecedere
duntaxat.

41. Oppones autem, quod ita nulla
sive ante, sive post prævisa merita dare-
tur prædestinatio, quod directè opponi-
tur Scripturæ Num. 19. allatæ : quos
præscivit, & prædestinavit, hoc enim, ut
explicui, intelligitur de præscientia me-
ritorum, absolutam antecedente præde-
stinationem, cuius etiam aliás fit men-
tio, ut Matth. 20. & 22. Multi sunt vo-
cati (voluntate generali) pauci verò ele-
cti voluntate speciali , seu prædestina-
tione absoluta , similia sæpiùs reperiri
possunt : ergò Respond. In Scriptura no-
mine prædestinationis non semel venire
eam, quæ est de gratia, ut in seqq. vide-
bitur , quæ verò est extra propositum.
Dum autem loquitur de absoluta ad glo-
riam prædestinatione , quasi hæc meri-
torum sequatur prævisionem , intelli-
gendum est , quod Decretum universa-
le, ante meritorum Petri prævisionem
incertum adhuc, quia accedente in alte-
ro signo prævisione , fit certum, & abso-
lutum , ob hanc certitudinem concipia-
tur, quasi tunc tantùm latum fuisset,
diciturque infallibilis, ac absoluta præ-
destinatio, quæ priùs ob incertitudinem
meritorum Petri quantum ad effectum,
seu actualē salutis consecutionem fal-

libi-

libilis erat. Res exemplô clarescet: Re-
ceptum , ut dixi, Canonistis est, spon-
sum sub conditione promittentem ma-
trimonium , id repromittenti sponsæ ,
adimpleta conditione obligari ad illud ,
nec opus novo esse consensu, quippe pri-
ore per purificationem conditionis in
absolutum transeunte : Nihilominus
Bonifacius VIII. c. un. de sponsal. &
Matrim. in 6. novum requirere videtur
consensum ; verba ejus sunt ; *cùm ex*
sponsalibus conditionalibus ante conditio-
nem existantem, sicut consensum non haben-
tibûs, & incertis, nulla publicæ honestatis
Justitia oriatur, &c. Si autem sponsalia
conditionata consensum non habent:
ergo, ut posita conditione valeant, aliis
adesse debet, quod *cùm nec Papa inten-*
derit, evidens est, consensum conditio-
natum dici quodammodo nullum, quia ef-
fectus illius incertus est, posita autem
conditione esse quasi alium , quia prior
ille transiens in absolutum, & certitu-
dinem inde obtinens, dicitur esse alius.

42. *Dices : quidquid sit de hoc ,*
certum esse in materia Prædestinationis
ultra illam generalem aliam requiri vo-
luntatem eō, quod generalis sit indeter-
minata, nec magis feratur supra Glori-
am à Petro, quam à Paulo, aut Andrea
obtinendam, posterior autem ad Glori-

am Petri duntaxat est reſtricta, ſed vo-
luntas, & Prædeſtinatio indeterminata
diſtinguitur à determinata: ergo. Re-
ſpond. neg. *assumpt.* & rationem diſting.
generalis voluntas eſt indeterminata, id
eſt, universalis, non ad unum arcta, ſed omnes respiciens *conced.* id eſt di-
ſiſivè Petrum, aut Paulum, &c. respiciens
neg. ſi hōc ſecundō modō foret indeter-
minata, vi illius unus, vel alter tantū
ſalvaretur, & alij nova indigerent vo-
luntate: ſed quia in priori ſenſu indeter-
minata eſt, omnes, quoquot ſunt, com-
pleteſtitur, & quivis vigore illius, modō
in illo non deficiat conditio, ſalvus erit:
Quemadmodum ergo voluntas condi-
tionata ex implemento conditionis eva-
dit pura & abſoluta, ita quoque ex in-
determinata fit determinata reſpectu il-
lius, qui poſuit conditionem, ut cum
alijs indubitatem tenet P. Schmier l. 4.
tract. 1. c. 3. num 98. Si placet, cape ex-
emplum ab Excommunicatione latæ
ſententiæ. Famosus eſt Canon ille: *qui-*
cunque ſuadente Diabolo, &c. vi cuius ſi
Petrus, ſuppositis ſupponendis, violen-
tas Clerico injecerit manus, ipſō factō
majoris Excommunicationis innodatur
vinculō, nec neceſſe, eum novā & decre-
toriā feriri ſententiā, quāmquām Ca-
non determinatē ad Petrum non diri-
gatur,

gatur, sed ad quemcumque indeterminatè; ita in proposito. Et sicut, ut Petrum in foro externo liget Excommunicatio, declaratoria tantum fertur sententia: ita ut Petrus in Gratia decedens obtineat salutem, præter generalem Dei voluntatem, aliò opus non est, sed declaratoriam duntaxat in die Judicij, quòd meruerit salutem, audiet sententiam.

§. IX.

Utrum Sac. scriptura adveretur Assertioni?

43. Superius §§. per totum, luculentè, puto, probatum, Conclusionem grave in Sac. Paginis habere fundamentum: non est proinde, ut ab illis timeat, secura in hoc, quòd spiritus contradictionis procul absit à spiritu veritatis. Nihilominus quia etiam AA. multum de ijsdem gloriantur, videamus, oportet, an tam clara proferre valeant testimonia, quæ apertè, & sine tergiversatione illis faverent.

Primò itaque producunt illud Evangelij Luc. 12. *Nolite timere pusillas Grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum: verbum complacuit in rigore significat gratuitam voluntatem, non autem, quod quis meretur, gratuitè datur:*

cur: ergo Regnum est sine meritis Apo-
stolis, tanquam pusillo Gregi promis-
sum. Sed Respond. si AA. hæc, & simi-
lia in rigore accipi desiderant, non tan-
tum gratuita est prædestinatio in ordine
intentionis, sed etiam executionis, quia
verbum dare: quid amplius importat,
quàm puram præparationem Regni.
Deinde non potest textus intelligi, ut
volunt, quia, sicut alij etiam notarunt,
fecit Christus sermonem ad omnes Apo-
stolos, nec tamen omnes erant absolutè
prædestinati, non enim Iscariotes. Ma-
lè item dicitur, illud, quod cadit sub me-
ritum, gratuitè non dari, cùm voluntas
dandi aliquid ut præmium etiam sit gra-
tuita; nam potuit prò meritis non dare
Gloriam. Tandem in re ipsa judico,
Christum per illa verba aliud non volu-
isse, quàm retrahere Apostolos à sollici-
tudine temporalium rerum, ac timore
eas amittendi; quia (præmittitur ibi-
dem) Pater vester scit, quoniam h̄is indi-
getis verūtamen querite primū Regni
DEI.... nolite timere pusillus, &c. Si
ergo paratus est Pater vester vobis Reg-
num æternum dare sicut alijs quibus-
cunque, quanto magis necessitatem
temporalem; quapropter omnem illius
curam deponentes, vendite potius, quæ
possidetis... facite vobis sacculos.... sint
lumbæ.

lumbi vestri præcincti &c. ut ibi sequitur.
Nec contra facit, quod Christus loqua-
tur ad Apostolos solum, quos pusillum
Gregem nominat, voluntas autem sal-
vandi omnes non sit Apostolorum pro-
pria, sed communis omnibus. Nam eti-
am antecedentia, ut: nolite solliciti esse
anima vestra, quid manducetis... consi-
derate corvos, quia non seminant... con-
siderate Lilia, quomodo crescunt &c. ad
Discipulos tantum dicta erant, præmit-
titur enim: Dixitque ad Discipulos suos,
& tamen omnes homines tangunt: po-
tuit ergo in illorum persona cæteris lo-
qui hominibus.

44. Producunt secundò ex D. Paul.
ad Ephef. i. *Elegit nos in ipso ante Mun-*
di constitutionem, ut essemus sancti, &
immaculati in conspectu ejus in charitate,
qui prædestinavit nos in adoptionem filio-
rum per IESUM Christum in ipsum secun-
dum propositum voluntatis sue. Agitur
hic de electione ad gloriā, quia hæc tan-
tum est omnis Benedictio in cælestibus: &
de prædestinatione absoluta, hac enim
prædestinati dicuntur electi, quod patet
ex Collecta Ecclesiæ: DEUS! cui soli co-
gnitus est numerus Electorum &c. signifi-
catur tandem hanc electionem præcessi-
sse merita, nam non sumus electi, quia
eramus, sed ut essemus sancti, & imma-

culati , hoc est , ut explicat S. Hieron. ibidem , qui sancti & immaculati ante non fuimus , ut postea essemus ; adeoque . Atrespon . rem hanc ita intelligentes adverte debuisse , Apostolum loqui ad Ephesios de se , & illis , nec tamen credendum , omnes illos fuisse absolutè prædestinatos . Nec refert , eum non scripsisse Ephesijs omnibus , sed , prout præmittit , omnibus sanctis , qui sunt Ephesi , & fidelibus in Christo Iesu . Præterquam enim , quod vix supponendum omnes Ephesios , qui erant fideles , seu ad fidem conversi , fuisse ita prædestinatos : accedit , quod illis ita fuerit revelata Prædestinatio absoluta , quod difficile sustineretur , quid quid aliqui dicere velint : Loquitur ergo Apostolus de electione ad primam fidei gratiam , qua mediante fierent sancti , quia sine illa tales esse non possent . Ita quoque intelligitur illud : Non vos me elegistis , sed ego elegi vos , ut eatis &c. Non enim ut ait S. August. c. 19. de prædest. sanct. quia credidimus , sed ut credamus , elegit nos , ne priores cum elegisse dicamur . Ex quo etiam patet , falsum esse nomine Electorum semper significari absolutè prædestinatos , quia est quoque electio ad gratiam primam , quæ nulla præsupponit merita .

45. Multum etiam extollunt ali-
um ejusdem locum ad Rom. 9. cum non-
dum nati essent (Jacob. & Esau.) aut ali-
quid boni egissent , aut mali , ut secundum
electionem propositum Dei maneret , non ex
operibus , sed ex Vocante dictum est ei , quia
major serviet minori , sicut scriptum est :
Jacob dilexi , Esau autem odio habui.
Quid ergo dicemus ? nunquid iniquitas a-
pud Deum absit . Moysi enim dicit miserebor ,
cujus miserebor , & misericordiam præstabo ,
cujus miserebor : igitur non volentis , nec
currentis , sed miserentis est Dei ... ergo
cujus vult , miseretur , & quem vult , indu-
rat . Si autem totum negotium Præde-
stitutionis sit Divinæ duntaxat miseri-
cordiæ adscribendum , ut hic dicitur ,
posset quis opponere : quid ad hoc quæ-
ritur ? non enim salvos , quia Deus no-
luit , imò nec possum , nam voluntati ejus
quis resistit ? sed Apostolus respondet :
ô homo ! tu quis es , qui respondeas Deo ?
nunquid dicit figmentum ei , qui se fixit ,
quid me fecisti sic ? an non habet potest a-
tem sigulus luti ex eadem massa facere ali-
ud quidem vas in honorem , aliud verò in
contumeliam ? Clarus nimis , inquiunt ,
est textus , in quo exemplum Primoge-
nituræ , quam sine meritis Jacob obti-
nuit præ Esau , adducitur ad ostenden-
dum , quod etiam sine meritis proprijs ,

ā solo miserente Deo unus sit præ alio
ad gloriam electus. Clara item est pa-
ritas de figulo, qui pro suo duntaxat ar-
bitrio alia efformat vasa in honorem,
alia in contumeliam: ergo etiam Deus
ex eadem Massa perditionis unum ele-
vat ad Gloriam, motus à Misericordia
sua, aliò in massa illa relicto, & vas in
contumeliam, seu pœnam facto. *Respond.*
Textum hunc esse unum ex illis, *in qui-
bus* (ut D. Petrus universim ait Epist.

2. Petri 3. de Epistolis D. Pauli) *quæ-
dam* sunt difficulta intellectu, *quæ indocti,*
& instabiles depravant, & reverè hoc
eodem loco impij Lutherus, & Calvi-
nus ad suos errores munierendos abuse-
sunt: Non ergo res intelligenda, ut
jacet, sed cum aliis, & quidem clarissi-
mis Scripturæ testimoniis conferenda,
id enim (notat Eminentiss. sfondrati,
ex quo placeat sequentia transcribere)
veritati, quod remotis procul Stellis
contingit, ut videlicet conjunctæ non
solæ appareant. Tu ergo dicis: *non est*
currentis, ego respondeo: *sic currite*, ut
comprehendatis 1. ad Corinth. 9. tu di-
cis: *non est volentis*, ego respondeo: *si*
volueritis, & *audieritis me*, bona terræ
comedetis. Isai. 1. *Ante hominem vita*, &
mors, *quod placuerit ei*, *dabitur illi Ec-*
cles. 15. tu dicis: *Esaū odio habui*, ego
respon-

respondeo : nihil odit corum , quæ fecit
Sap. 11. tu dicis : cuius vult , miseretur ,
at ego respondeo : omnium enim misere-
ris , quia omnium Dominus es , ibid. tu di-
cis : quos vult , indurat , ego respondeo :
neminem perire vis 2. Petr. 3. si vocem
Domini audieritis , nolite obdurare corda
vestra Psalm. 4. si monet Deus , ne ho-
mo ipse cor obduret , quomodo ille in-
durat ? tu denique dicis : nunquid non ha-
bet filius potestatem aliud quidem vas
faciendi in honorem , aliud verò in contu-
meliam ? at ego respondeo : Nunquid vo-
luntatis ejus est mors impij , & non potius ,
ut convertatur , & vivat ? ergo vult omnes
esse vasa honoris , & nullum contume-
liæ. Adeoque , si scripturæ scriptura
conferatur , ut debet , nec deduci pote-
rit ex Pauli loco , deesse Deo volunta-
tem salvandi omnes , nec quòd salus ali-
cujus à Deo tantùm miserente prove-
niat , sed etiam ab homine. Unde exi-
stimo dicendum , Apostolum loc. cit.
non agere de electione ad gloriam , cùm
nec Iota , nec apex de ea reperiatur , sed
de electione ad primam gratiam , seu de
gratia vocationis , quæ utique est solius
Dei misericordis , nec meritis debita ; si
enim gratia , jam non ex operibus , alio-
quin gratia jam non est gratia , ad Rom.
11. Nec dicas , Apostolum ibi totum

Occupari in explicando Sacramento electionis ad gloriam ; hoc enim credere nequeo , cùm potiora & in præcedentibus , & in sequentibus capitibus habeat de vocatione ad fidem , vultque ostendere Judæos gloriari non debere : quòd sint præ aliis vocati , id enim non operibus ipsorum , sed Dei potius Misericordiæ tribuendum , ut etiam dictus *Eminentiss.* in suo nodo Prædestinat. jam cit. ad hunc locum Pauli ex S. Aug. & aliis eleganter deducit , quem vide. Nota præterea , illud : *Esau autem odio habui* , non significare verum odium , sed minorem tantum dilectionem , & sic cui minus datur , odiô haberi , seu minus diligi dicitur : quod etiam ex aliis script. locis constat. Luc. 14. si quis venit ad me , & non odit Patrem suum . . . non potest meus esse discipulus , nec tamen requirit Christus odium Patris , sed tantum minorem , quàm sui dilectionem : *Qui amat Patrem suum , aut Matrem plus quàm me , non est me dignus* Matth. 10. Item : odio habebis inimicum tuum Matth. 5. tamen & alibi : *diligite inimicos vestros* Matth. 5. adeoque odium non semper propriè accipiendum.

46. Alias autem si locum illum D. Pauli etiam electioni ad gloriam accommodare velis , lege expositionem D. Chry-

Chrysost. qui hom. 16. in eum textum
ita discurrit : Ut igitur Pharaon was iræ
factus est propria iniuitate , sic & isti va-
sa misericordiæ sua probitate (non præ-
cisa Dei voluntate) sunt ; nam eisī ma-
jori ex parte id à Deo geritur , tamen à no-
bis exiguum confertur aliquid , idcirco non
dixit , vasa præclarorum facinorum , ne-
que vasa fiduciæ , sed vasa misericordiæ ,
ut ostendat , totum illud Deo tribuendum.
Misericordiæ itaque tribuitur , non qua-
si nihil sit hominis , sed quia plus est
Dei , denominatione sumpta à majori ;
sicut etiam creaturæ , quāmvis sint ali-
quid , dicuntur tamen nihil esse apud
Isai : Et neque , qui plantat , neque qui ri-
gat , est aliquid , sed qui incrementum dat
Deus , 1. Corinth. 3. si autem , qui plan-
tat , non est aliquid , quomodo plantat ?
Idem S. Pater clariūs , quod dixit , in-
frà repetit : Unde ergo alij vasa sunt iræ ,
alij misericordiæ ? Ex arbitrio proprio ;
nam Deus , cùm sit optimus , in utrisque
eandem benignitatem exhibet : non enim
eos , qui salvantur , solum miseratus est ,
sed etiam Pharaonem , quantum in ipso
fuit ; eandem quippe in se tollerando pa-
tientiam , experti sunt . Quòd autem non
est salvatus , totum id illius voluntati tri-
buendum est , quia quod ad Deum pertinet ,
nihil minus , quām qui salvati sunt , ad-

ceptus est. Similia repetit l. 4. de Fid. c.
20. sed quid egemus testibus? Ipse met
S. Paulus, nobis objectus, 2. ad Timoth.
2. rem ita intelligit: *In magna autem do-*
mo non solum sunt vas a aurea, & argen-
tea, sed & lignea, & fictilia, & quædam
quidem in honorem, quædam in contumeli-
am: si quis ergo se emundaverit ab istis,
erit vas in honorem sanctificatum: non
itaque si Misericordiæ Divinæ duntaxat
placuerit, sed etiam, si se propria volun-
tate emundaverit. Atque hinc glossis
stando illud: cum nondum nati fuissent,
aut aliquid boni, aut mali egissent, non ex-
cludit præscientiam boni, & mali, sed
denotat, ut Theologi loquuntur, præ-
cedentiam æternitatis ad tempus, id est,
antequam actu à parte rei quidquam bo-
ni, aut mali egissent, sicut modò Anti-
Christus est filius perditionis, licet nec
dum natus, nec aliquid mali modò ope-
retur.

47. Quartò adducunt ex Historia
Apostolica c. 13. crediderunt, quotquot
erant præordinati ad vitam æternam, hoc
est, quia præordinati erant: ergo hæc
præordinatio præcessit Fidem credenti-
um, proinde & alia merita. Respond.
si prædestinatio ad vitam æternam sit
causa fidei, nemo credidit, nisi prædesti-
natus, quod est falsum: sequeretur eti-

am actum fidei, aut conversionem ad il-
lam esse signum infallibile prædestina-
tionis absolutæ. Deinde ubi docetur ly:
quotquot esse notam causalitatis? Dice-
rem itaque omnes illos etiam, qui sunt
prædestinati, credidisse, & non tantum
alios: aut quibus est præordinata gratia
conversionis, seu fidei, quæ vocari po-
test vita æterna inchoativè, cùm sit ini-
tium ejus, & fundamentum.

48. Fortius his omnibus urget il-
lud sapient. 4. *Placens DEO factus est*
dilectus, & vivens inter peccatores trans-
latus est, raptus est, ne malitia mutaret
intellectum ejus aut ne fictio deciperet ani-
mam illius: non est raptus ex hac vi-
ta, & translatus ad aliam, nempe Bea-
tam, quia constans permanxit, & super-
avit temptationem, sed ne superetur ab
ea, aut circumduceretur à fictione: er-
go ante Victoriam fuit destinatus ad sa-
lutem, & ex hac destinatione processit,
quod mature raptus sit, ne diutiùs vi-
vens succumberet temptationi: quod cla-
rius repetitur infrà v. 13. & 14. consuma-
tus in brevi explevit tempora multa; pla-
cita enim erat DEO anima illius, propter
boc properavit educere illum de medio ini-
quitatum; quare properavit educere, quia
placita erat anima illius; sed cur placita?
fors quia in medio iniquitatum illibatus

permansit , & ita merebatur ? nequaquam ; nec enim fuit in medio earum ; placita ergo fuit ex mera Divina Bonitate , quæ animam illius ad Gloriam absolutè præordinavit sine meritis ; & quia prævidit DEus , eum iniquitatibus coquinandum , festinavit DEus , & prope ravit vitæ filum truncare , ut firma permaneat prædestinatio . Hunc Scripturæ Passum vult S. August. ob oculos ponì omnibus , qui de Prædestinatione tra dant , ut videant , eam esse opus puræ Misericordiæ , præcedens finalia etiam merita . Alius similiter urgens Locus est apud Matth. 24. c. Erit enim tunc (tempore Anti-Christi) tribulatio magna , qualis non fuit ab initio Mundiusque modo , neque fiet . Et nisi breviati fuissent dies illi , non fieret salva omnis caro (id est , nullo caro) sed propter electos breviabuntur dies illi . Prædicens deinde Christus Pseudo-Prophetas , qui tempore illo erunt , dabunt , inquit , signa magna , & prodigia , ut in errorem inducantur , si fieri potest , etiam electi : Hic quoque apertè insinuatur , electionem absolutam esse ante omne meritum finale ; quia enim Electi sunt absolutè electi , breviabuntur dies persecutionis , ne videlicet eos caderre contingeret , si illa diutiùs duraret . Item Electi non possunt seduci , sed cur , nisi quia jam electi sunt ? At

At enim si ita intelligantur textus
isti, ut volunt, evidens est id, quod su-
prà §. 6. volui, nempe Petrum, si jam
ante merita absolutè prædestinatus sit,
esse omnimodè de salute securum, nec
habere, quod amplius timeat, seu benè
operatus prævideatur, seu malè; nam si benè; salus illum aliunde certa
manet; si malè Deus illum usque ad
tempus malorum operum vivere non
sinet, sed maturius ad aliam transferet
vitam, ne per peccata obex effectui factæ
Prædestinationis ponatur. Solius ergo
Dei erit, curam habere salutis. Acce-
dit, quod ex primo textu sequatur, mi-
raculosas multorum Justorum esse mor-
tes, seu præter, imò contra rerum cur-
sum evenientes, quam sequellam ita
deduco: vel mors justi, seu electi rapti,
qui prævidebatur malè operatus,
suppositâ longiori vitâ, evenit exigen-
tibûs eam causis naturalibûs, vel non,
sed exgentibûs potius protractionem vi-
tæ? si ita: ergo nequit dici ex proposi-
to raptum fuisse, quia anima erat Deo
placita; aliunde enim mortuus fuisset.
Si non: ergo miraculosa est mors, seu
raptus ille, sicut miraculosa fuit trans-
latio Enoch ad Paradisum terrestrem,
de qua tantum textus ille litteraliter so-
nat, & ad mortem cuiusvis Justi ab ali-

is applicatur. Propter hæc igitur cre-
derem, primum locum non ita rigidè
acciendum, sed ita, quod anima Ju-
sti sit Deo placita, sicut & quæcunque
alia, quantum est ex parte sua, quia
quamlibet præordinavit ad gloriam, &
quod ad mortem justi generaliter con-
currat cum causis secundis, sicut ad
quamcumque aliam: quia tamen mors
justi est terminus bonæ, & meritoriae
vitæ, impedimentum futuræ malæ, &
initium æternæ, ac beatæ, ideo pretio-
sa est in conspectu Domini, qui nihil
aliud, quam bona desiderat; ob hanc
autem specialem complacentiam, quam
de morte justi habet, dicitur, quasi eam
specialiter effecisset, justumque rapuis-
set, non autem peccatorem, quia mor-
tem illius, utpote pessimam specialiter
non approbat, sed tantum non impedit
cursum causarum naturalium, mortem
inferentium. Adalium textum dico,
tam sœvam tempore Anti-Christi fu-
turam tribulationem, & persecutionem,
quæ omnes à bono proposito deijcere
sufficeret, si autem hoc fieret, frusta-
retur Divinum propositum, quod omni-
um salutem universaliter statuit; nul-
lus enim salvaretur: non fieret salva om-
nis caro, id est nulla fieret salva: quare
ut hoc impedit Deus O. M. breviabit
dies

dies tam duræ, & vehementis tribulationis. Quòd verò addatur: ut in errorem inducantur, si sic potest, etiam Electi, non denotatur impossibilitas erroris, alias quale libertatis privilegium? & quid timendum de illis? aut quare propter illos abbreviandi dies, si in errorem cadere nequeunt? Significatur itaque à Pleudo-prophetis patranda esse signa, ut iis visis illi quoque, qui cæteroquin firmissimæ erant in Christum fidei, in ea errarent, quòd alias difficulter fieret.

49. Si cuiquam non arrident hæ interpretationes, vel itque alias evincere, pace mea det, quam voluerit, et si etiam una, alterave Assertionem oppugnaret: cogitet autem nec illam, quam dederit, nec aliam infallibilis esse veritatis, aut certò certius ad mentem Spiritus S. per scripturam loquentis; alias ex absoluta, & merita antecedente Prædestinatione cudet novum fidei dogma, non sine tot Virorum, etiam Sanctorum injuria, qui eam negabant. Libentiùs ergo fateri vellem explicationis textus alicujus ignorantiam, quam propter sensum in contrarium apparentem à proposita deflectere conclusione, donec per claria non revincatur fundamenta, aut testimonia. Cæterum placet candida

con-

confessio P. Baronis hic, quod post morosam, ut ait, cogitationem nec pro una, nec pro altera parte quidquam fixi, aut determinati ex fac. script. testimonijs, & Ecclesiæ oraculis colligere potuerit: non, quia scriptura nihil hac de materia dictat, sed potius, quia multa, idque in utramque partem ita, ut neutra alteram convincere possit, & una alterius locis vix satisfacere, saltem aliquibus, quod huc usque, nō fallor, plūs, quam satis parere potuit.

§. X.

Argumentum contra Conclusio- nem principale dilutum.

50. Subtilis noster loco nuper cit. pro opposita sententia hoc, quō alij libenter utuntur, format argumentum; omnis ordinatè volens prius vult finem, quam media, ad illum finem conducentia, sed Deus est ordinatissimum volens: ergo prius vult finem, quam media ad illum, sed gloria est finis, media sunt gratiæ; his enim fiunt merita, quibus comparatur salus, seu gloria: ergo prius vult Petro gloriam, quam gratias, & merita. *Nec juvat*, quod prius velit gloriam, sed non nisi illa voluntate generali, quam vult eam omnibus. *Nam* electio mediorum procedit ab intentio-

ne

ne finis , & qualia eliguntur media , talis est intentio finis ; sicut enim se habet simpliciter ad simpliciter , ita magis ad magis ; si ergo Deus aliquibus eligit media ad gloriam efficacia , non item aliis , sequitur eum non æqualiter velle omnibus gloriam , atqui voluntas illa Generalis respectu omnium æqualis est : ergo præter hanc habet aliam , & quidem ante merita , respectu aliquorum . Confirmatur à paritate Medici , qui hoc ipso , quod uni porigeret potionem pro sanitate efficacem , non alteri ex æqualiter infirmis , convinceretur diversam circa utrumque habere intentionem procurandæ sanitatis , respectu primi scilicet efficacem , & absolutam , non respectu secundi ; alias reverè non erit ratio , quod uni efficacem , non alteri eligat medicinam . *Ast imprimis* , si hoc argumentum concluderet , non tantum defactò absoluta ante merita daretur prædestinatio , sed nec possibilis foret alia , aut aliò modò facta , quia concludit ex hoc , quod Deus sit ordinatè volens , impossibile autem est , quin ille sit ita volens : unde sic arguo : aut possibile est , quod Deus habita sola voluntate generali de salute omnium , uni conferrat majorem gratiam , aut efficacem , non alteri , aut impossibile ? si possibile :

ergo

ergo argumentum non concludit ; quis enim scit , id defactò non fuisse factum , cùm non constet esse revelatum ? si impossibile : ergo actum est de aliorum salute , imò actum fuit pro illo etiam signo , quò aliquos absolutè prædestinavit ; quia enim non alios , sine tali autem prædestinatione gratias efficaces habere non possunt , consequenter nec habere poterunt gloriam : quod , ut melius clarificat , advertendum Idæam A A. esse eam , quam in principio insinuavi , quòd videlicet Deus post generalem de salute omnium voluntatem aliquos absolutè prædestinaverit , non alios , qui proinde ab illis dicuntur pro signo illo negative reprobati , aut potius nec reprobati , nec prædestinati : Jam autem si eos roges , an hi alij salute in sibi comparare possint affirmant , quia negare non audent , ne illis sine omni culpa salus reddatur impossibilis , unicè ex hoc , quòd eos in absolute non incluserit prædestinatione . Hoc verò supposito ita arguo : Illi sunt liberi ad comparandam sibi in alio signo salutem : ergo etiam Deus paratus tunc est illis dare gratiam efficacem , etiam finalem , cùm sine tali non possit dari indifferentia , & libertas proxima ad merita , nec ad salutem : si autem Deus paratus sit , potest gratiam illam dare ,

&

& tamen de salute eorum aliam non habuit praeter solam voluntatem generalē: adeoque. *Nec dicas*, utique posse Deum, illis eam dare gratiam, sed non, nisi ex eō, quod possit illos etiam pro, seu in altero signo absolutē prædestinare, ut ita ex hac prædestinatione, tanquam ex fine uno procedat gratia. *Nam PP.* & Theologi, ac ipsimet etiam AA. volunt sub voluntate generali salvandi omnes, hanc tantum latere conditionem, si in fine vitæ reperti fuerint in gratia, si autem subsisteret, quod modò dicunt, hæc alia subintellegeretur conditio: si Deus eos speciali, & absoluta voluntate prædestinaverit. Quia ergo nulla ostendi potest implicantia, ne Deus gratias efficaces uni velit, & non alteri, stante sola voluntate generali de omnium salute, sunt quoad hoc AA. discordes, aliqui enim, ut Schmising, &c. concedunt hujus possibilitatem, alij negant ut Mastrius, quamvis nesciam, cur, seu ob quam causam.

51. Ut iterum arguam, suppono, quod nuper notaveram *num.* 33. nempe gratiam finalem cum efficaci, alias per decursum vitæ collatā, coincidere, hoc solo discrimine, quod illa vitæ connotet terminum: utraque autem ordinatur,

& juvat ad Beatitudinem sed quæ ad finalem immediate sequitur ob vitæ , ut dixi , terminum. jam sic. Deus benedictus multò majoribus gratijs , & auxilijs dignatus est Judæos præ gentilibus ; non enim fecit taliter omni Nationi , & Iudicia sua non manifestavit eis , canit Psalm. 14. gentes autem permisit ingredivas suas , Act. 14. sed quis dicet , has gratias processisse ex voluntate absolute salvandi Judæos , cùm plurimi fuerint reprobri ? Et hoc idem contingit quotidie , ut constat de pluribus damnatis , qui abundatores præalijs habuere gratias , ut etiam infrà num. 54. adnotabo. Quapropter non benè responderetur interroganti , cur huic Deus dat gratiam efficacem , non alteri ? dicendo , quia hic prædestinatus est absolute , non alter sed potius ignorantia hujus fata da , quam candidè fassus est S. Aug. I. de spirit. & Litt. c. 34. Jam si ad illam profunditatē scrutandam quisquam nos coarctet , cur illi ita suadeatur , ut persuadeatur (en gratiam efficacem) illi autem non ita ? duo solum ait , occurrunt interim , quæ respondere mibi placet ; sed quæ unum est : ô altitudo divitiarum ! alterm : nunquid iniquitas apud DEum ? & concludit : cui ista responsio non placet , querat doctiores , sed caveat , ne inveni-

*at præsumtiores : si ergo Causa finalis
gratiæ efficacis non sit prædestinatio ab-
soluta , nec de finali hoc asserendum.
Si disparitatem dederis , quòd finalis
sit cum Beatitudine infallibiliter con-
nexa , non alia. Nihil ad propositum
facis , jam enim innui , finalem ex se
non habere , quòd sit cum Beatitudine
conjuncta , sed ex aliquo extraneo illi ,
quia scilicet ad illam sequitur mors (e-
xigentibūs causis secundis) potentiam
ad demerendum præcludens : Ceterū
efficax de se æquè promovet salutem ,
quod palam fiet , si Deus eam , quam
in cursu vitæ dat , gratiam , ad illius
reservaret Epilogum ; tam etenim suf-
ficiens erit adhominem perducendum
ad Beatitudinem , quam ea , quam ali-
as daret. Atque hæc abundè sufficerent
ad evacuandum argumentum de ordina-
tè volente , libet tamen illud magis di-
rectè solvere. Unde*

52. *Respond. conced.* totum argu-
mentum ; nam & ego volo , ac suprà
probavi DEum velle omnibus Gloriam ,
& ex hujus fine cuivis dare gratiam.
Dum hæc generalis voluntas impugna-
tur , tanquam sola non sufficeret , neg.
suppositum , quod est , DEum alicui
tribuere gratiam efficacem , non alteri ;
quid enim juvaret alterum ea gratia ,

quæ non foret efficax? valdè difficile est,
ut arbitror , sustinere , quod homo pos-
sit salutem consequi cum tali gratia ,
quæ non est efficax , maximè cùm ille ,
qui hanc tantùm habet gratiam , non sit
absolutè prædestinatus , quod tamen
juxta AA. saltem aliquos ita necessariò
requiritur , ut impossibile sit opposi-
tum , secundum alios autem saltem mo-
dò aliter fieri nequit. *Si inferas* : ergo
omnes benè operantur eō , quòd grati-
am efficacem infallibiliter consequatur
effectus , seu meritum. *Neg. illatum* ;
nec enim gratia efficax habet , quòd ex
se inferat meritum , sed quia ipsa homi-
nis voluntas liberè vult illam sequi , ac
sub illa elicere meritum : quæcunque er-
go efficax est , sed non cuicunque obe-
dit homo quia non vult. *Audiatur S.*
Chrysost. hom. 1. in Epist. ad Ephes.
qui ita ratiocinatur , ostendens non
gratiæ duntaxat , sed libero etiam arbi-
trio tribuendam salutem : *Non enim ex*
nostris laboribus rectè factis hoc suppetit
(quòd simus prædestinati) *sed ex Cha-*
ritate : neque ex Charitate solum , sed ex
virtute nostra ; nam si id ex sola Charita-
te penderet , salvari omnes oportaret (sed
quā viā hæc sequella erit vera , si non
omnes haberent Charitatem , seu grati-
am efficacem ? nec enim ex ea quæ efficax

non

non est , sequitur omnes salvari debere)
si autem sola ex virtute nostra , supervaca-
neus fuisset adventus illius (Christi) &
quæcunque ab Eo sunt administrata . Ve-
rūm neque ex sola Charitate , neque ex vir-
tute nostra illud accidit , sed ex utraque .
Hæc , si ponderentur , indicant & om-
nem gratiam esse æquè efficacem , &
quòd ad effectum illius requiratur coo-
peratio voluntatis . Quibüs ita suppo-
sitis verto factum argumentum ad op-
positum , & sic discurro : Electio medi-
orum debet esse proportionata intentio-
ni finis , & è contrà : ergo sicut genera-
lis voluntas salvandi omnes ex se est effi-
cacissima , ita etiam media , seu tales eli-
guntur gratiæ , quæ sunt ad assequen-
dam salutem efficacissimæ , sed illa ge-
neralis voluntas est ita efficacissima , ut
tamen penes hominem sit , effectum
illius , seu salutem obtinendi , aut amitt-
endi : ergo etiam gratiæ , quæ omnibus
dantur , ita sunt efficacissimæ , ut tamen
penes hominem sit , effectus illarum , seu
meritum ponere , aut omittere . Et in
hoc argumentandi methodo non inve-
nio errorem , & velint , nolint AA. in
ea reperient summam Gratiam inter ,
seu media , & finem correspondentiam .

53. Corrigendam igitur arbitror
opinionem , quæ Gratiam ex eo ponit ef-

ficacem, quod absolute, quantum est de se, ponat meritum, aliam vero sufficiem duntaxat, quia illud non infert, quasi in ipsa utriusque entitate, seu virtute foret quoad efficaciam diversitas, ut illi prætendere videntur in exemplo Medici, quod adducunt. Corrigendam, inquam hanc imaginationem esse, dicendumque potius, nullam, quantum ad efficacitatem, penes naturam, seu entitatem Gra- tiarum esse distinctionem, nec unam de se magis aptam, congruam, & idoneam ad hominem movendum, ac aliam: unam tamen appellari efficacem, quia illius motioni se humana accommodat voluntas, non alterius, quæ propterea sufficiens tantum dicitur, quod ex præs- se docuit D. Thom. in c. 18. ad Rom. & 3. p. q. 69. art. 8. ad 2. *Hæc vocatio est efficax in prædestinatis*, quia hujusmodi vocationi assentiunt, se vero creata voluntas uni vocationi accommodat ex naturali suo arbitrio, cui hunc in finem gratia commitans nunquam decit; ut proinde diversitas non nisi in connotato appareat ab humano pendente arbitrio, tantumque absit, ex inæqualitate gra- tiarum Prædestinationis inferri diver- sitatem, ut potius ex gratiis ex se æquè efficacibus æqualitas illius evidenter in- feratur, ut in fine prioris Num. vidisti.

Et

Et si etiamnum opus , rem hanc magis
ad oculum deducere , assumo exemplum
de Medico, quod A.A. solempne est, ac ita
ratiocinor ; si Medicus, duos æquè infir-
mos curaturus , uni efficacem, & optatæ
sanitati aptam præscriberet potionem ,
alteri ineptam , & improportionatam ,
concludi fors posset , non æquè utrius-
que intendere sanitatem : atsi utrique
æqualem , ejusdem virtutis , ac , ut ita
dicam , Synonimam porrigeret Medicin-
nam , unus verò infirmorum eam sume-
re vellet , alter nollet , & obinde ille re-
convalesceret , non iste , nōnne evidens ,
utriusque salutem Medico æquè cordi
fuisse , nec illum , sed infirmi duntaxat
renitentiam secuturæ aliæ sanitati obi-
cem ponere ? imò hoc idem dicerem ,
etsi Medicus uni talem , quæ magis in-
firmi arridet gustui , porrigeret , alteri
magis adversam , dum tamen contrarie-
tas hæc , quam ad palatum haberet , ab
infirmo facile superabilis sit , & aliæ Me-
dicina illa sit de se sanitatis inductiva ;
semper namque manet in elezione me-
dij efficacis virtualiter includi efficacem
finis intentionem , à qua illa procedit .
Cogita jam , an Deum O. M. in nego-
tio humanæ salutis occupatum , Medi-
co , posteriore , an priore potius modò
agenti comparare velis , cùm ut docet S.

Aug. ad Artic. sibi falsè impositos art.
I. de Redempt. & Sanguin. loquens :
Poculum immortalitatis, quod confectum
est de infirmitate nostra, & virtute Divi-
na, habet quidem in se, quod omnibus pro-
fit, sed si non bibitur, non proficit. Et ut
magis legitimum, ac sinceræ Dei Boni-
tati conforme feras judicium, sequen-
tia præ oculis habe: Quid debui ultrà fa-
cere vineæ meæ, & non feci. Isai. 5. Ex-
pandi manum meam ad populum non cre-
dcentem, & contradicentem. ad Rom. 10.
Jerusalem! quoties volui congregare filios
tuos, sicut Gallina congregat pullos suos
sub alas, & noluisti. Matth. 23. in quæ
verba S. Aug. advertit. mirus est, inqui-
ens amor omnibus ferè avibus ad conser-
vandos, & protegendos pullos suos, sed
præcipue Gallinis, quæ pullos colligunt
sub alas, boc est, summo cum desiderio, &
solicitudine eos fovent. Matth. 5. qui so-
lem suum oriri facit super bonos, & malos.
Jac. I. c. 4. qui dat omnibus affluenter, &
nemini improperat; in quem locum Do-
ctor Angelic. eleganter ait. Deus dat
liberaliter, quia non vendit, sicut multi:
dat generaliter, quia non uni, sed omni-
bus: dat abundanter, non parcè: dat
curialiter, & officiosè, quia non imprope-
rat. Denique ut alia transeam, B.
Thom. de Villanova: Dilexisti me, Do-
mine

mine! ait, super modum, dilexisti me sine modo, & qui omnia in numero, pondere, & mensura fecisti, in me diligendo omnem modum, pondus, & mensuram ex cessisti.

§. XI.

Solutio præfata defenditur.

54. Obstare posset illi, quod non omnes æquali præveniantur Gratiâ; quis enim negare audet, copiosiora dona, & illuminationes habuisse Beatiss. Virginem, Apostolos &c. Et hæc diversitas quantitatis, & qualitatis gratiarum insinuatur apud Matth. 28. in parabola hominis, qui peregrè proficiscens vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua, non quidem in eadem mensura, sed uni dedit quinque talenta alij autem duo, alij vero unum: si ergo uniformitas inter finis intentionem, & electionem mediorum concedenda, non est, in Deo æqualis de omnium salute voluntas. At Respond. juxta ea, quæ num. 51. dixi: non inficiar diversitatem, & majoritatem Gratiarum, sed assero, quantum opus est ad salutem consequendam, æqualitatem servari in omnibus: Stat æqualitas gratiarum, quatenus omnes præbent viam ad salutem, & quidem certam, si homo eam calcare voluerit; est autem inæqualitas, quia

diverſi ſunt fines Divinæ voluntatis. Exornavit ſpecialioribūs donis Beatiss. Virginem, ut dignum Filij ſui habitaculum effici mereretur. Ecclesia in quādam collecta. A poſtolos, ut forent apta Spiritus Sancti Organa, quibūs Evangelium omni annuntiaretur creaturæ: alios quoque circa alios habuit fines, qui omnes, ſi abudantioribus hiſce, vario ex motivo collatis, correpondeant gratijs, majorem etiam Gloriæ promerentur gradum. Nullatenus itaque ſequitur ex majori amplitudine gratiarum, & varietate absolute aliquorum Prædestinationis; attendatur enim, ut loco cit. notavi ad reprobos, quam multi eorum majores, & abundantiores præ electis recipiant gratias: quantas non accepit Lucifer, cui ex ſenſu PP. appropriatur illud Ezech. 28. *Tu signaculum ſimilitudinis, plenus ſapiētia, & perfectus deco-re, in deliciis Paradifi Dei fuisti.* Posuit eum quoque Deus in Monte Sancto Dei, ut ſit perfectus in viis ſuis a die conditio-nis ſuæ, ut proinde miretur Isai. c. 14. *Quomodo cecidisti de Cælo Lucifer, qui mane oriebaris.* Quas non habuit Judas Iſcarjotes? recepit eum Christus in Collegium Apoſtolorum, conſcripsit in-ter amicos, teſtem ſuæ fecit ſanctitatis, & miraculorum, corpore, & ſanguine ſuo

suo cibavit , docuit , monuit , minatus est , prædixit , amplexu , & osculô strinxit , ac jam jam scelleri pertinaciter accinctum (ô magna Dei Clementia !) cum armata Cohorte ad terram allisit &c. quis tamen dicet , hæc facta fuisse ex particulari , & absoluta horum prædestinatione , & non potius universali ? quam efficacissimam esse , vel inde , id est , ex tām multiplicibus gratiis , auxiliis , inspirationibus , illuminationibus , piisque motibus in Creatura , etiam perditissima , excitatis evidentissimè concluditur.

55. Si verò occasione ex his sumta scisciteris , ac contra ea arguas : quare DEus Præscitos majori sæpè præveniat Gratiâ ? si enim Gratia datur propter Gloriam , quomodo ijs , qui hanc consecuturi non sunt , largissima manu dispensatur ? Item vedit Petrum huic consensurum Gratiae , Paulum alteri , cur dat utrique eandem . Vedit Adamum hac in circumstantia peccaturum : non in altera , cur illum non posuit in altera ? si enim omnium salutem æquè anhelat , omnibus eam , cui consensuros prævidit , concederet Gratiam : si sincere : ergo quem hac in occasione lapsū præscivit , poneret in alia . Resp. utique Gratiam , simpliciter loquendo , dari propter

pter Gloriam , proinde datur etiam reprobis , quorum salutem DEus avidè anhelat . Cur autem quandoque maiorem det reprobis , cur uni hanc , non alteri , cur hunc in tali permisit occasione , non alterum , cur denique infinita alia , quæ aliter esse possent , fieri sinat : Hoc opus , hic labor , & quidem frustraneus , etsi perquām impensus : quæsita formare possumus , sed quis , qui nodum solve-re ? Ipse D. Paulus (scis , qualis , & quantus) quāmvis Doctor gentium , aliud dicere non valuit , quām : ô altitudo Divitiarum sapientiæ , & scientiæ DEI , quām incomprehensibilia sunt Judicia ejus , & investigabiles viæ illius ! ad Rom. II . Et S. August. serm. 22. de verb. Apost. aliud dicere nescivit , nisi : Quære merita , & non invenies , nisi pœnam : quære Gratiam , & ecce ! ô altitudo divitiarum ! Petrus negat , Latro credit , sed unde ? ô altitudo divitiarum ! Hoc nos putas perscrutari posse , quod Apostolus expavit ? queris rationem (notet sibi , qui omnia investigare præsumit) & ego expavesco altitudinem . Tu ratiocinare , ego mirer , tu disputa , ego credam . Altitudinem video , ad profundum non pervenio : ô altitudo ! nemo ergo querat à me occultorum rationem . Paulus dicit : inscrutabilia sunt Judicia ejus , & tu scrutari venisti ? si inscrutabilia scrutari

scrutari venisti, & investigabilia vestigare
venisti, crede, jam perijsti (quia nimium
præsumis contra monitum ejusdem A-
postoli ad Rom. 11. noli altum sapere ,
sed sapere ad sobrietatem ibid. c. 12.) ta-
le est velle scrutari inscrutabilia, & inve-
stigare investigabilia, quale est, videre in-
visibilia, & fari ineffabilia, ac facere in-
façtibia ; impossibilis enim est actus se-
fundus sine primo. Ast nunquid hæc
omnia neganda, quia ignota? minimè.
Quis non pessimè excipiendus, si omnia,
quæ videt, sed causam ignorat, ita esse
negat ? si natura tam tenax secreto-
rum, ut plurium, quæ operatur, ratio-
nem abscondat (volve, & revolve mi-
racula naturæ, & experieris, quanta in
te cœcitas) cur eorum, quæ Author
Gratiæ, & naturæ circa creature, cum-
& in illis quotidie actitat, rationem
quærere præsumis ? credamus ergo in-
scrutabilia Judicia DEI esse, simul ta-
men justa, quia illius sunt, à quo omne
justum. Melior nunc est ex D. Aug. cit.
sententia, fidelis ignorantia, quam teme-
raria scientia si nietur vita, & venie-
mus ad Patrem: non potest videri tempore
viæ, videbitur tempore Patriæ, ibi æquita-
tem DEI videbis, justissimam æquè ac
sapientissimam omnium rationem, ibi
leges in verbo, & sine codice. Videri hoc

Sacra-

Sacramentum potest, at non modò: ab-
scondita est, inquit Job. c. 28. sapientia
ab oculis omnium viventium; volucres quo-
que cœli latet, nisi à DEO reveletur: si
volucres cœli, id est, Angelos latet, quid
volucres terræ, seu homines quærant?
vidit hoc secretum Apostolus ad tertiu-
m cœlum raptus, aliaque arcana, sed
edicere noluit, quia non licet ea homini lo-
qui: Potuisset ille explicare, sed non li-
cuit, quia vetitum ei fuerat, ut nemini
dicat visionem hanc. *Quis* itaque querit
Tertullianus, *revelabit, quod Deus te-*
xit? unde sciscitandum est? ergo ignorare
tutissimum. Quapropter nequaquam de
sincera, candida, ac efficacissima DEL de
salute omnium voluntate dubitandum:
nec ex gratiarum diversitate illius con-
cluenda diversitas: nec tandem varieta-
tis hujus præsumptuosè potius, quam
utiliter inquirenda ratio, sed ignorare
tutissimum.

56. Sed duo etiamnum hic ani-
madvertenda restant: *unum est*, DEum
quidem secundum propositum elec-
tio-
nis, nobis penitus ignotum, varijs vari-
as distribuere gratias, quia tamen ad fa-
ludem necessarias denegat nemini, ne-
minem etiam, quod pauciores alterò ac-
ceperit, importunè quærulum esse pos-
se, sed magis suis cooperari studens, in
copio-

copiosioribus aliorum admiranda Divi-
næ Providentiæ adoret opera, eámque
& justissimam, & misericordem collau-
det. DEus namque ex Denario tantum
convenit nobiscum Matth. 20. conventi-
onem fideliter, & sacrosanctè servat, cui-
vis Denarium Gratiæ, quod promisit,
reddit: quòd verò uni non unum dun-
taxat, sed 3. 4. 5. &c. ultrà donet, uni
aureum, argenteum alteri, sed ad emen-
dam salutem ejusdem valoris, illius bo-
nitas, est, & misericordia, nullius inju-
ria. An fors injuria tibi, quòd accipias
promissum, & careas eō, quod non de-
betur? unde ob gratias parciūs recepras
obmurmuranti DEus justè regerere po-
terit illud Evangelij loc. cit. *Amice! non*
facio tibi injuriam. *Nonne ex denario con-*
venisti mecum? hoc tibi fideliter reddidi:
tolle ergo, quod tuum est, & vade. Cœte-
rū an non licet mibi, quod volo, facere,
cūm Dominus sim gratiarum? an oculus
tuus nequam est, quia ego bonus sum, dum
abundantiores ex occultissimis consilijs
in aliud diffundo? feci tibi, quod pro-
misi, fac tu, quod teneris: Denariō ute-
re, talentum non abscondē, & audies à
me: *euge serve bone,* & fidelis, quia super
paucā fuisti fidelis, super multa te consti-
tuam, Matth. ult. non eris quidem pote-
statem habens super decem civitates Luc.

19. nec super quinque , aut duas, sicut
alter, qui duo vel quinque accepit talen-
ta, aut decem m̄nas, & operatus est in eis,
intrabis tamen in gaudium Domini tui ,
quod utique sufficere debet, creatus enim
es, ut in æternum vivas, non, ut tantum,
vel tantum gloriæ gradum obtineas.

57. Alterum est , me nescire , quod
impetu, aut etiam Jure plurimi ex AA.
quod si absoluta prædestinatione conse-
queretur merita , inferre attentent ,
Judicia Dei contra apertissima, & toties
repetita Scripturæ testimonia fore
scrutabilia ; quod enim unus salvetur,
non alter , nihil facilius , quam dicere ,
rationem esse, quia vocanti Deo coope-
rari voluit , alter noluit . Nescio , in-
quam , cùm & ipsos hoc idem sequatur :
etenim , quamvis prædestinationem
meritis anteponant , nolunt tamen eam
sine meritis executioni dandam : si ergo
totus cardo sit in executione (quid e-
nim ille ordinis intentionis prædestina-
tio , si ab effectu vacua foret) interro-
ganti , cur Petrus salvetur , legitimè re-
spondere debet , quia gratiis cooperan-
do merita posuit , atqui hoc est , ut a-
junt , Judicia Dei esse scrutabilia; adeo-
que. Si dixerint , merita ipsa esse ef-
fectum illius prædestinationis in
ordine intentionis , hæc autem gratuita
est ,

est, merumque Divinæ Misericordia argumentum; per consequens & merita. *Peto*, sintne effectus illius necessarius, an contingens? si illud: iterum, ut nuper volebam, Petrus exoneratur à cura ponendi merita, utpote ad prædestinationem aliunde secutura. Si contingens: unde? utique quia à libera Petri pendent voluntate, quæ vocanti Deo consentire potest, & dissentire: Jam autem si ab ea pendent, pender quoque salus æterna, eritque vera causalis illa; salvatus est ille, non Paulus, quia non hic, sed ille vocanti Deo correspondere voluit. Existimarem itaque, ut jam aliquando innui, totam hujus materię inscrutabilitatem non ad aliud, quam ad variam, & mirabilem Gratiarum dispensationem proximè esse referendam, nec aliam hujus rationem assignari posse, nisi voluntatem Divinam; nam *Spiritus*, ubi vult, spirat, & nescis, unde (id est quo fine) veniat, aut quò vadat Joan. 3. Intellexi, fatetur Ecclesiastes c. 8. quod omnium operum Dei nullam potest homo invire rationem... Et quantò plus labaverit ad quærendum, tantò minus inueniet: propterea jam antecedenter c. 3. dehortatus est: *Altiora te ne quæsiēris*, *Et fortiora te ne scrutatus fueris*, *Et in pluribus operibus ejus ne fucris curiosus memento*

G

potius

tius, monet Job. c. 26. quod ignores opus ejus, de quo cecinerunt viri: Ecce! Deus magnus, vincens scientiam nostram.

58. Nec opponas. S. Petrum Dami-an. lib. de Incarnat. & grat. inferentem, quod si ita est, ut illi jaētitant, compræ-bensa sunt ab ipsis inscrutabilia, & incom-præbensibilia Dei judicia: si enim, sicut ipsis volunt, nolentes damnat, salvat au-tem volentes, nihil est omniu[m] quod ulteri-ūs quæratur &c. Nam intulit hoc san-ctus contra Pelagianos, meritum homi-nis, & consequenter etiam salutem vo-luntati tantum tribuentes, non gratiæ; ita enim tota ratio salutis erit voluntas creata: At quia nos Catholici merita à gratia dependere credimus, præter vo-luntatis consensum penetrare ultrà non possumus, quare videlicet Deus Petro hanc dederit gratiam, quā consentiri voluit, & Paulo aliam, cui dissensurum præviderat. Nec iterum opponas Aposto-lum 1. Corinth. 4. Quis te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acce-peris? Recurro enim ad glossam S. Aug. de Spirit. & Litt. c. 34 Consentire vocati-oni Divinæ, vel ab ea dissentire propriæ voluntatis est, quæres non solum non infir-mat, quod dictum esti quid habes, quod non accepisti? verum etiam confirmat;

acci-

accipere enim , & habere anima non potest , nisi consentiendo , ac per hoc , quod habet , & accipit , Dei est (Deus enim dat gratiam) accipere autem , & habere utique accipientis , & habentis est , quia videlicet illud , quod accipit , non reiicit , sicut alias potuit . Verum ergo est , regotium Salutis penes creatum quoque sistere arbitrium ; gloriari tamen neminem posse , nec se perfectè ab alio discernere , quia nullius merita sufficiunt ad salutē , nisi additō à divina gratia valore . Gloriaretur autem , qui gratiā non agnitiā , gloriæ proemium proprijs solummodo meritis adscribere præsumeret , quem proinde jure redarguit Apostolus : *Quis te discernit ? quia habes , quod non accipisti ? &c.* Noto præterea , locum istum D. Pauli , si ita ut AA. volunt , accipi debeat , ipsosmet quoque urgere , quia nolunt quempiam salvatumiri , nisi merita liberè posuerit ; nam quomodo libere , si non dependenter à proprio arbitrio ?

§. XII.

Allia contra Conclusionem objec-ta , & soluta .

59. Urgent ultrà prædestinationem parvolorum , quæ non potuit esse ex meritis , quorum sunt incapaces : cùm er-

go diversus illos , & adultos prædesti-
nandi modus non sit asserendus nec ad-
ulti ex meritis absolute sunt prædesti-
nati. *Respond.* cum distinct. non po-
tuit esse ex meritis proprijs conced. alie-
nis , id est , Christi neg. utrique præde-
stinatur ex meritis Christi , hâc tamen
differentiâ , quòd adulti merita illius si-
bi proprijs applicare tenentur meritîs ,
parvuli verò virtute Baptismi dunta-
xat : sicut etiam ad ipsum Baptismum
in his ratione incapacitatis pius motus
non requiritur , cum tamen ad ulti *ex*
Trid. sess. 6. c. 6. ad eum disponi debe-
ant per pœnitentiam ; valet namque de
adulto quocunque illud Augustini axi-
oma : *qui creavit te sine te , non salvabit te*
sine te. At bīc , inquiunt illi , rema-
net difficultas , unde scilicet contingat
parvulo isti , non illi , quòd ad Baptis-
mum perveniat , habeatque inde meri-
ta Christi efficaciter sibi applicata ? pro-
fectò cùm uterque sit proprij expers me-
riti , alia non suppetit causa , nisi quia
unus est absolute prædestinatus , non al-
ter . Et hoc videtur quibusdam esse va-
lidissimum contra Assertionem. *Sed* ,
ut verum fatear , non depræhendo quid-
quam specialitatis , quod suð modō non
etiam occurreret in adultis : En quomo-
do ! Sint duo ejusdem sanctitatis , & me-
riti :

xiti: unus eorum juguletur ab inimico,
alter immunis evadat, sed durante vi-
ta, reus gravis peccati factus, aliunde
moriatur: primus est filius salutis, al-
ter perditionis: si uterque in manibus
inimici obiisset, de numero Sanctorum
uterque fuisset, quæ itaque causa tam
diversæ fortis? forsan, quia unus fuit
præviè ad merita, absolutè prædestina-
tus, non alter? minimè, sed quæ alia?
dicerem conformiter *ad num. 33.* hic
aliquid naturalitatis intervenire; fuit
enim unus ab inimico extinctus, quia
illum tantum extinguere voluit, aut
saltē alium non valuit, vel suffragiō
pedum, vel strenua defensione custodi-
tum, quō factum, quod interemptus sit
salvatus, non quasi mors omnino natu-
rali vi secuta causa esset salutis, sed quia
conditio fuit illius, & occasio, quæ ali-
unde ad merita, seu sanctitatem, eo-
tunc in occiso repertam, vi generalis
voluntatis de omnium salute necessariò
sequebatur.

Nunc jam eodem planè modō de
parvulis philosophandum: pervenit
unus ad Baptismum, & alter moritur
anticipatè, quia causæ naturales eum
habent fluxum, quō alterum vel suffo-
cant maternō adhuc clausum uterō, vel
perimunt extrā, sed præmaturè; vel

vel in tali conceptus , & natus parentum malitia , aut aliorum , sive incuria impedit , & negligit Baptismum : vel tandem in tali conceptus , & natus est loco , in quo nulla hujus Sacramenti notitia , aut usus .

60. Sed nondum finis in hoc medio parvolorum ; quia enim illi , quemadmodum omnes alij ex doctrina subtilis nostri 3. d. 19. q. un. §. in ista quæstione prædestinati sunt ante prævisam Christi Passionem , sequitur , eos prædestinatos esse ante merita quæcunque , etiam Christi , quod probatur : merita Christi sunt merita Passionis , sed hæc in signo prædestinationis parvolorum necdum fuit prævisa : ergo . Respond . hoc argumentum laborare supposito , quod Christus præter ea , quæ sunt Passionis , alia non habuerit merita , id verò admittendum non puto , sed potius , eum habuisse & alia , ut adorationis , humilitatis , amoris , &c. si enim talia conceduntur alijs , cur negarentur Christo ? Illa ergo in perfectissimo , & eminenti gradu elicita , & quia theandrica , à supposito Divino summè significata , superabundantia erant , ut intuitu eorum omnes prædestinaretur & Angeli , & homines . Sed hoc indicasse sufficit , & ulterius simili- um meritorum examen pertinet ad ter-

tium

tium sententiār. ubi etiam docetur, Christum animæ suæ probabiliùs meritum nōn fuisse, quāmquām id non implicet. Nec tamen inferre licet, sicut Christum, ita quoque alios sine meritis prædestinatos, præsertim cūm nullum aliud illustrius sit prædestinationis Exemplar, quām Christus Iesus, ait D. Aug. de Bon. perseverant. c. 24. Nam si paritas sit adæquata, sequitur non tantum electos esse absque meritis ad gloriam, sed eam sine illis quoque habere, quia Christus eam habuit sine meritis. Quæ ergo sunt particularia Christi, ad alios trahi non debent: fuit ille Filius DEI proprius, alij adoptivi: habuit unionem hypostaticam, quæ erat titulus quidam possessionis gloriæ juxta illud Joann. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, & plura alia admiramus in Christo, quæ alijs negantur.* Verum nihilominus est, eum esse Exemplar nostræ prædestinationis, sed verum etiam quòd exemplatum deficiat ab exemplari. Si autem vellis adhuc, illum fore exactum prædestinationis nostræ exemplar: concedam hoc de nostra ad primam gratiam prædestinatione; quemadmodum enim gloria illi data est sine meritis, ita hæc gratia nobis sine meritis nostris, quāmvis semper ex meritis

illius; nam **D***Eus* vocavit nos , 2. ad Timoth. 1. vocatione sua sancta non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo J*Esu* ante tempora sæcularia.

61. Obijci denique potest, quòd Semi- & Pelagiani quoque docuerint, D*Eum* velle omnes salvare, modò & illi vocanti consentire velint; ut enim refert S. Aug. l. 4. contra Julianum c. 8. dicebant: ideo non omnes salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, quia ipsi nolunt petere, cum D*Eus* velit dare: nolint querere, cum D*Eus* velit ostendere: nolint pulsare, cum D*Eus* velit aperire; atqui hæreticorum doctrina sana non est: proinde, &c. Respond. non omnia, quæ illi credunt, aut docent, esse hæretica; hæretis alias esset, asserere, Christum venisse, passum, mortuum esse, &c. quia illi hoc credunt: Christus quoque non foret Filius DEI vivi eò, quòd Diabolus, cui minùs credendum, quam hæretico, Luc. 4 talem sit professus. Quia ergo veritas Acatholicis sæpiissimè etiam lucet, non continuò spernenda, quæ ab illis docentur, sed erroneis dimissis vera securè eligenda, non quia ab ijs dicta, sed quia aliunde vera.

§. Ulti-

§. Ultimus.

Positæ, & oppositæ Assertionis comparatio.

62. Atque hæc sunt & propugnata, & impugnata utriusque sententiaz fundamenta, quæ si quis maturo examine, & ab omni partialitate libero percurrere voluerit, facile concludet, ultra majori polleat verisimilitudine: nec dubito judicium in favorem positæ ferendum. Etenim si Scriptura præcisè attendenda, nullum opposita habet testimonium, quod clarè de prædestinatione ad gloriam loqueretur: Posita profert quam plurima. Solvere illa hæc nititur ope distinctionis de ordine intentionis, & executionis, quæ distinctione si non in se dubia, in proposito saltem difficultatis est non exiguae. Posita est contra textus, qui obijciuntur interprætatur aut de electione ad gratiam, aut de universalis, & conditionata omnium prædestinatione: & quia tamen elec-tio ad gratiam, quam generalis prædestinatione certæ sunt, liceat aliquantum reflectere, quæ tutior, aut melior sit sententia, vel ea, quæ claris Scripturæ Passibus ambiguam applicat distinctionem, vel quæ certam alijs locis aliunde obscuris, nec evidenter ad rem fa-

cientibus ? Si SS. PP. consideretur au-
thoritas , præter S. Aug. (qui tamen ,
ut visum non ad eo fixè ei adhæret) op-
positæ vix alius ex illis clarè patrocina-
tur , plurimi nostræ , in quam etiam ex
confessione S. Prosperi tota quasi Anti-
quitas conspirâsse videtur : posteriorum
item DD. amplum pro ea , quævis non
adæquatum vide Catalogum in Nodo
prædestinationis Eminentiss. Sfondrati
ad finem . Quis item , quæfo , ex SS.
PP. ita opp̄fitam dilaudavit , ut eam di-
ceret , antiquitate , suavitate , ac scriptu-
rarum nativa auctoritate nobilissimam ?
quis item Dei Misericordiæ , ac Gratiæ
magis consentaneam , veriorem , & amâ-
biliorem ? quæ omnia in summam positæ
sententiæ commendationem asservisse S.
Franciscum Salesium olim citavi . Si
ab extrinseca ad intrinsecam descendend-
dum probabilitatem , seu ad momenta
rationum , non aliam , quæ solemnis
appareret , opposita adducere valet , nisi
illam de ordinatè volente , quæ autem
non solùm multipliciter evacuatur , sed
insuper supponit id , quod hac in mate-
ria minimè concedendum . Plures etiam
ex alijs objectionibus semi - aut Pelagia-
nos stringunt : ut vel inde appareat ,
nostram haud habere , quod timeat ,
dum jacula , illi intentata , alias contra

Hæ-

Hæreticos vibrantur: & revera quæ audacia, sententiam Catholicam iisdem, quibus hæreticam, impetrare argumentis? aut enim Orthodoxæ non nocent, aut si noceant, importuna sunt ad versus acatholicam. Cœterum autem AA. multum laborare debent & in manutenenda prædestinati libertate, & in defendenda generalis, & conditionatæ prædestinationis efficacitate, quam vix non omnes concedunt, licet nesciam, an cohærenter. Iterum, si totum, ut illi volunt, disponatur, salvare nequam possunt, ne plurimorum seu adulorum, seu parvulorum mortes sint miraculosæ, & contra naturæ exigentiam. Omitto præterea graves difficultates, quibus negativa obruitur reprobatio, quam tamen illi necessariò tenentur admittere.

63. Vehementer denique torquet oppositam Dilemma Calvini, nempe: si sum prædestinatus, quidquid egero, salvabor certissimè, si non sum: quidquid fecero boni, damnabor certissimè: Quid ergo? agam, quod lubet, & fruar voluptatibus, donec licet; fixa namque prædestinationis sententia, nihil ad æternam vitam aut prodesse virtutes, aut nocere possunt vitia. Mirum, quantum hoc stringat! ipse S. Augustinus

nus expertus est efficacitatem illius in
quodam ex Discipulis , qui , ut proba-
ti referunt Authores , auditâ omnino
gratuitâ prædestinatione , sæculum re-
petiâ , vitam Regularem tamquam su-
perfluam ad æternam existimans . Op-
ponunt quidem AA. multa alia v. g. vel
Deus ab æterno disposuit , me præsen-
tem evasurum infirmitatem , vel non ?
si ita : ad quid medicina , sanitate ali-
unde certa ? si non : stante quacunque
etiam industriâ , extinguar indubie.
Item potuisset Dæmon similiter ratio-
cinari : Iscariotes aut prædestinatus est ,
aut non ? & ex primo concludere irri-
tum temptationum conatum , ex altero
verò superfluum , jam inferunt ; sicut
infirmus non cessat ab exquirenda medi-
cina , nec Dæmon à temptatione Judæ ,
aut aliorum , sed , ut ait S. Petrus Epist.
I. c. 5. tanquam Leo rugiens circuit , quæ-
rens , quem devoret , ita etiam non obstan-
te prædestinatione gratuita nemo à bo-
no desistere debet , sed magis satagere ,
ut juxta monitum ejusdem Apostoli E-
pist. 2. c. I. per bona opera certam suam
vocationem , & electionem faciat . Specio-
sa , fateor , hæc sunt , & similia : Verum
si profundius accipientur , argumentum
non infringunt , saltem pro illorum
Sententia : quod ut demonstrem , sumo
sanita-

sanitatem infirmi (idem est de aliis) & sic discurro : aut illa determinata est absolute independenter ab efficacia medicinæ , aut dependenter , seu prævisâ ea ? si primum ; manet integrum dilemmatis robur , eritque æquè imperceptibile , medicinam quidquam conducere ad sanitatem , aliunde certam vi decreti , ac imperceptibile est , meritoriam vitam promovere salutem , quæ aliàs vi absolutæ prædestinationis suam habet infallibilitatem : Quid ergo aliud hoc est , quam vim argumenti ab una materia transferre ad aliam , atque ita magis intricare , quam solvere ? Si verò dicatur secundum ; concedo libenter , sed infero , ergo salus quoque æterna Petro destinata est dependenter à meritis ; proinde quemadmodum , ut sanetur infirmus , necessaria est medicina , ita , ut salvetur Petrus , necessaria sunt merita , quod legitimè ex tali sequitur prædestinatione . Et ex his vides , quam nihil illis hæc , & similia profint exempla : Item quam leve in nostra sententia sit illud dilemma , inter Sophismata potius reponendum . Ultra has instantias directam quoque parant responcionem , sed quia fundatur in duplice illo , & toties decantato , intentionis , & executio- nis Ordine , existimo , non tantum non esse

esse opportunam , sed potius difficultatis augmentativam , si repetantur , quæ nuper ex medio creatæ libertatis urseram.

64. Porrò hujus occasione adverto , veram quidem esse D. Aug. doctrinam de Bon. perseverant . non ideo negandum , quod apertum est , quia comprehendi non potest , quod occultum est ; & ideo etiam non neganda quidem prædestination , quæ in Scriptura aperta est , quia radicis quoad omnia comprehendi nequit : ad hoc nihilominus laborandum puto , ut quod aliundè occultum est , ita potius explanetur , ut aliquatenus saltem , quantum revelata patitur veritas , imbecillis noster quietetur intellectus ; semper namque minuenda difficultas , nec unquā magnæ addenda major , & inde fit , quod Theologi profundissima quæque fidei Mysteria varijs tūm paritatibūs , tūm rationibūs , & explicationibūs illustrare , & arduitatē alleviare laudabiliter assuerint . Porrò ex hoc evidens est , sententiam quam propugno , oppositæ longè anteponendam ; facilius enim reddit Prædestinationis Arcanum & Commodius Hæreticorum obviat insultibus ; etenim rationi consentaneum est , eam in materia tam ardua eligere viam , qua

quâ securiùs hostium declinantur insidiæ, ut ita, quod fieri potest, bellandi adimatur occasio.

Quia verò multa hucusqué de gratia, alijisque, quæ materiam fidei, & morum seu directe, seu indirecte tangunt, dicta sunt, totam hanc dissertationem, & quocunque illius iota infallibili S. Rom. Ecclesiæ Judicio, hoc est, firmamento, & columnæ veritatis, promptissimus subijcio.

Amice Lector!

Duo sunt, de quibus te, si recordaris, præmonui: unum fuit, quod præstare in his Pagellis volui, alterum, quod non potui. In illo utrum expectationi tuæ satisfecerim, tuum esto judicium; nam de altero aliunde certus sum: legisti etenim hocce opusculum, omniāque in eo contenta diligenter considerasti, nihilominus te cum Job. c. 38. fidenter interrogo: nunquid nosti ordinem cœli, & pones rationem ejus in terra? seu magis ad rem nostram, ut Hebræus legit: nunquid nosti leges, vel statuta cœli? fiderter, inquam, te interrogo, quia quantalibet quis virtute proficiat, quantumcunque scientiæ ex crescatur, ait D. Gregor. in allata verba Job, penetrare non sufficit, quô nos conditor moderamine Judiciorum regat: sed cur? S. August. in illud D.

Pau-

Pauchi: ô homo ! tu quis es? differens dat rationem : magnum pondus habet, quod dictum est ô homo ! tu quis es ? nam in talibus quæstionibus ad suæ capacitatis considerationem revocat hominem verbo quidem brevi , sed reipsa magna est redditio rationis. *Quia ergo homo es, te latet profundissimum Prædestinationis secretum : quia ego quoque homo sum, possum cum salviano l. 3. de Provid. constanter, & rationabiliter dicere: nec scio secretum, & consilium Divinitatis ignoro.* *Val.*

POSITIONES Ex secundo Sententiarum Libro de **A N G E L I S.**

I. Existentiam Angelorum fides doceet. II. ratio naturalis non convincit. III. An fuerint in - an extra Empyreum creati Cœlum, IV. sicut an in eodem instanti cum Cœlo , & terra , dubium est. V. Sunt substantiæ simpli- citer spirituales , VI. Quocunque ho- mine perfectiores , VII. Materiâ , & formâ physicis expertes. VIII. Intrin- sece quidem incorruptibles , IX. Ci- tra miraculum tamen annihilabiles. X. Sunt quidem specie multiplicabiles. XI. Modò tamen probabilius solò numerò multiplicati. XII. Ab anima ratio- nali

nali in ratione completi, & incom-
pleti differunt. XIII. habent intelle-
&um formaliter discursivum, XIV. Et
ab intellectu memoratæ animæ essentia-
liter diversum : XV. Dividitur in passi-
bilem, & agentem, XVI. Qui est spe-
cierum & ab objectis materialibus, &
spiritualibus, quas. XVII. Non ha-
bent de omnibus infusas. XVIII. Re-
pugnat in illis species impræssa in re-
präsentando universalis sive non tot,
quin plurimum, XIX. sive duorum dun-
taxat objectorum disparatorum : Imò
etsi nor. repugnaret, XX. Perfectiori-
oribus tamen Angelis concedenda nece-
sariò non est. XXI. Secreta cordium
pertinent ad objectum naturalis attin-
gentiæ intellectus Angelici, XXII. Si-
cut & quædam supernaturalia in sub-
stantia. XXIII. Et intuitivè, & ab-
stractivè propriam cognoscere possunt
entitatem: XXIV. Se quoque locali-
ter movere motu. XXV. Tùm successi-
vo, cum instantaneo, XXVI. Medium
tamen non Communicans naturaliter
transire debent. XXVII. Non sunt
in loco per operationem, nisi effi-
cienter : XXVIII. Possunt se intra a-
dæquatum ad quemcunque minorem
retrahere, & dum placuerit. XXIX.
Etiam ad punctum. XXX. Probabili-
ter

ter promeriti sunt gratiam sanctifican-
tem, XXXI. Et per opera antecedentia
Gloriam, ad quam sine illis XXXII Non
sunt absolutè prædestinati. XXXIII.
Potuerunt de via ordinaria peccare in
primo creationis instanti. XXXIV.
Item appetere æqualitatem Dei. XXXV.
Malorum primum peccatum fuit luxu-
ria spiritualis ob quam, & alia subse-
quentia. XXXVI. Cruciantur ab igne
sine aliqua qualitate in illis producta,
sed. XXXVII. Per duplicem alligati-
onem, objectivam videlicet, & forma-
lem. XXXVIII. Causa obstinationis eo-
rum non est naturalis inflexibilitas vo-
luntatis, sed. XXXIX. Sola ratio ter-
mini, & negatio gratiæ divinæ.

M. A. M. D. G.



